



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio III. Cuius negatio sit possibilitas formaliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

pro obiecto producendo existentiam, & conno-
tat, ut obiectum terminativum illam, & essen-
tiam actuale quod obiectum producendum non
est possibilitas existentia, nec ipsa existentia
ab æterno existens actu, hoc est in actu exercito,
sed potius in actu signato, id est existentia illa,
quæ pos. nam producitur actualis positiva est,
& quæ si producat talis erit; unde existentia
ratione cuius, convenit creaturis possibilibus, fa-
ctib. itas est existentia actualis, non pro ut actualis,
sed pro ut exercita reduplicative, quia per
hanc reduplicationem significatur non solum
actualitas, & realitas existentia, sed etiam actualis
eius effectus, vel quasi effectus formalis, atque
adeo essentia realiter, & a parte rei actu existens
est ipsa actualis existentia, quæ est terminus pos-
sibilitatis per quam formaliter constituitur crea-
tura possibilis in ratione entis possibilis, quam
pro ut erit terminus actionis per quam creatura
possibilis extrahitur à potentia causarum ad rea-
le esse proprium extra causas, quo sensu intelli-
gendos existimo eos, qui dicunt existentiam actua-
lem importari ab ente possibili non in actu exer-
cito, sed signato intelligere; aut significare per
actum exercitum non solum existentiam specifi-
cative exercitam, sed ipsam pro ut exercitam, si-
ve pro ut actualiter extrahit rem extra causas ipsa
existentia, per actum vero signatum explicare
existentiam actualem, non sub ea ratione qua
actu extrahit rem extra causas, sed sub ratione
termini realis tam negationis, quam actionis
omnipotentia; unde inter existentiam possibi-
lem, & inter ipsam pro ut exercitam in ordine ad
hoc negotium explicandum designari poterit per
conditionalem supra positam medium, ipsam
scilicet existentiam actualem secundum se, non
exprimendo an sit producenda, vel sit potens
produci, sed solum cognoscendo illam secundum
se, quatenus ex se, & in se pro ut est terminus ta-
lis negationis, & actionis divina, quando exer-
cetur est positiva entitas, quæ licet ab æterno nō
sit actu, nihilominus ita ut ac producitur est po-
sitiva entitas actualis, id est est actualitas positi-
va, per quam terminat creatura actionem divi-
nam producentem quod non est novum, nec solum
secundum nostra principia dicta; si quidem
in ipsa omnipotentia, & in scientia divina potest
fieri eadem interrogatio, cui non solum nos, sed
etiam ipsi adversarij debent respondere; nam cer-
tum est omnipotentiam quatenus est virtus pro-
ductiva connotare existentiam, de ipsa enim exi-
stentia connotata ab omnipotentia quæro, an sit
possibilis vel actualis; si possibilis est solum ne-
gatio; si dicatur esse actualis est falsum loquen-
do ab æterno, quia ab æterno existentia actu non
est nec potest dici connotare existentiam; solum
ratione possibilitatis, quia omnipotentia ut dixi-
mus, diverso modo connotat existentiam, ac pos-
sibilitatem; nam possibilitatem non respicit ut
faciat, & producat, quia possibilitas in vestra sen-
tentia est improductibilis, & independens à Deo,
ac proinde nullo modo potest produci in se, quæ
possibilitas ut distinguitur ab existentia non
respicitur ab omnipotentia, nisi sub ratione ob-
iecti formalis sub quo; existentia autem respicitur
vel connotatur ab omnipotentia tanquam
terminus, qui in se potest produci à Deo, & de-
pendere ab omnipotentia divina; ergo non solum
ratione possibilitatis, sed ratione propriæ entita-
tis connotatur ab omnipotentia, non tanquam

R. P. Ideph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

quid negativum, sed potius tanquam quid posi-
tivum, quod secundum se tale est, licet actu non
sit, quia licet aliqua entitas positiva actu non sit,
non ideo est ipsa negatio sui, quia idem non po-
test esse contradictorium sui ipsius, quia talis
transitus aut conversio in sui contradictorium,
hoc est, quod fiat ipsum contradictorium est im-
possibile ut supra vidimus, quare dicendum est
omnipotentiam connotare existentiam, quæ licet
ab æterno non fuerit, nihilominus ex se, & secun-
dum se positiva actualitas est, quæ propositio, ut
potest æternæ veritatis explicanda est per condi-
tionales supradictas eo modo, quo supra data
opera, explicuimus propositiones æternæ veri-
tatis.

QVÆSTIO III.

Cuius negatio sit possibilitas formaliter.

SECTIO I.

Sententia adversariorum proponitur.

PRIMA sententia asserit possibilitatem
reum formaliter immediate esse nega-
tionem repugnantiam; unde formaliter,
& primario in hac sententia est non repugna-
tia ad existendum, & ideo vocatur negatio non
pura. Probatur hæc sententia, quia creatura im-
mediate, primario, & formaliter ratione possibi-
litaris est non repugnans existere; ergo possibili-
tas est non repugnans ad existendum, quia eo
modo est forma, ac est effectus formalis illius, sed
non repugnans ad existendum est negatio rep-
ugnantia, sicut non visus est negatio visus; ergo
possibilitas primario, & formaliter.

Secunda sententia est, possibile, seu quod non
implicat contradictionem formaliter esse meram
& puram negationem; sic P. Vazq. & P. Suarez
diverso tamen modo explicantes suam mentem,
P. Suarez sic suam sententiam exponit, dicendo
possibilitatem nihil esse aliud, quam negationem
puram, excludentem repugnantiam terminorum
positivorum, quos si Deus operetur realiter inter
se coniungentur eo quod inter se non repug-
nent, & post multa sic concludit n. s. sect. 3. disp.
31. mer. fatendum ergo necessario esse seclusa enti-
tate existentia quæ per effectum aliquam
comunicatur, ipsam entitatem essentia omnino
nihil esse, & in principio sectionis sic ait, præciso
esse existentia essentiam non esse rem aliquam,
sed omnino esse nihil; non autem repugnantiam
his verbis tribuit possibilitati num. 3. ex mente
Capreoli, (quam sequitur) ex parte creatura di-
cit, quandam aptitudinem, seu potius non repug-
nantiam ut in tali esse à Deo producatur, & in
principio illius sectionis, sic ait obiectum huius om-
nipotentia, quasi motivum, sub quo, seu ratio
propter quam existentia non repugnat esse, non
est aliquid sed pura negatio alicuius, hoc est pu-
rum, & omnino nihil, quatenus ex se excludit
omnem entitatem, quam includit esse positivum:
hæc omnia docet P. Suar. com. 2. mer. disp. 31. sect. 2.
& 4. & tom. de Deo, tract. 1. lib. 3. cap. 9. num. 16.

Probatur sic primo Verbis P. Suarez, creatura;

ooo &

& illius essentia de se prius quam à Deo acta fiat, nullum habet in se verum esse reale, ac proinde præcisa existentia est purum nihil: sed non nihil, quod implicet; ergo quod non repugnat esse, ergo possibilitas creaturæ est purum nihil, & pura negatio; sed non ita pura ut est illud, quod repugnat.

4. Confirmatur, quia si possibilitas non esset purum nihil, Deus rem aliquam non posset in nihilum redigere; quia semper maneret aliquid rei, scilicet essentia, & similiter non creasset Deus omnia ex nihilo: sed ex vno esse transmutasset illa in aliud.

Secundo; nam vel talis potentia manet in re producta, vel non manet; si non manet, nihil reale esse potest, quomodo enim illud ens, quaecumque esse fugitur, si aliquid positivum, & reale esset, destrueretur per productionem entis in actu; si vero illa potentia manet in re producta, iam illa potentia non est obiectiva tantum: sed etiam subiectiva, nec res fierent ex nihilo: sed ex præsupposita potentia tanquam ex subiecto, vel materia ex qua fit res.

5. Pater autem Vasq. 1. p. disput. 104. cap. 6. à n. 27. sic suam mentem reterat, dicendo possibile, seu quod non implicat contradictionem sumi posse dupliciter formaliter, & materialiter; priori modo significari ait meram, & puram negationem; posteriori entitatem aliquam illa negatione explicatam, cui negatio formalis veluti innititur, & in hac negatione dicit consistere rationem formalem eius, quod non implicat contradictionem, & possibile nominatur in quantum tale est, & ut est obiectum divinæ omnipotentiae.

6. Probat sic; Dei omnipotentia non pender à rebus, & intelligi potest atque explicari solum per hoc, quod dicitur esse attributum seu potentiam quæ possit facere, quicquid non implicat contradictionem: ergo id solum est formaliter obiectum illius potentiae, quod possibile dicitur, quæ nihil aliud est quam pura negatio, itaque conveniunt Suares, & Vasques in hoc, quod possibilitas sit pura negatio, in quo distinguitur eorum opinio à prima, quæ asserit possibilitatem non esse puram negationem, addit P. Suarez, in quo differt à P. Vasquez, possibilitatem eo quod pura negatio sit, esse purum nihil.

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur, & probatur.

7. Prima conclusio: possibilitas non consistit, in immediata, & primaria negatione repugnantiae; id est non est contradictorium primum, & immediatum repugnantiae.

8. Probat primo, quia contradictoria sunt immediate, & maxime opposita: sed possibilitas non potest maxime opponi repugnantiae: ergo possibilitas non est contradictorium immediatum repugnantiae: nec immediata ac primaria negatio illius: maior est ipsa definitio contradictorium; minor probatur, illa quæ maxime conveniunt essentialiter non possunt maxime opponi inter se essentialiter: sed possibilitas, si negatio formalis est, & non positivum ens, ratione cuius vocatur ab adversariis negatio non pura, maxime convenit essentialiter cum repug-

nantia, quæ etiam negatio est, & ideo vocatur negatio pura: ergo non possunt opponi maxime. Maior sic probatur, quia oppositio est non convenientia in quantum oppositio est, quia oppositio est repugnantia, & repugnantia est non convenientia; Vnde maxima oppositio maxima non convenientia est, & ideo solet poni maxima oppositio seu repugnantia, quæ contradictio est communiter à Doctrinibus inter duos terminos, quorum unus est positivus, & alter negativus; inter quos nulla potest dari convenientia in ratione superiori essentiali, & si aliqua datur est longissima, & remotissima in aliqua denominatione; nullo autem modo in ratione essentiali, utriusque communis, quia cum vnum contradictorium sit non esse alterius, & vnum destruat per aliud non potest per suum ipsum esse, quo vnum contradictorium destruitur ab altero, convenire maxime cum illo, quia iam idem maxime conveniret, & non conveniret maxime cum eodem, vnde idem esset, & non esset.

Illam minor sic probatur, ea quæ sunt duæ species, & conveniunt in generica ratione immediata, maxime conveniunt essentialiter: sed negatio pura, & non pura sunt duæ species negationis ut sic, & conveniunt in negatione tantum in genere immediato: ergo negatio pura, & non pura, quæ idem sunt quod repugnantia, & non repugnantia ad existendum, conveniunt maxime essentialiter: ergo non possunt opponi maxime essentialiter.

Confirmatur, quia quando duo conveniunt, 10 in aliqua ratione communi, etiam si differant per differentias essentialiter oppositas non possunt opponi contradictorie: sed possibile, & impossibile conveniunt intrinsece in ratione negationis ut sic: ergo, &c. Maior est evidens, & à me probata: minor etiam est evidens, quia possibile ut concedunt adversarij, & etiam impossibile essentialiter sunt negatio: ergo conveniunt intrinsece in ratione negationis: ergo possibile immediate, & per se ipsum non opponitur contradictorie impossibili: sed ratione sui debet ita opponi alicui termino: ergo assignandus est huiusmodi terminus positivus cui opponatur: sed non est alius nisi existentia, quod est contra adversarios.

Dices convenientiam illam repertam inter repugnantiam, & possibilitatem, non esse maximam convenientiam, quia datur alia maior, scilicet duorum individuorum in eadem specie, ut est convenientia, quæ reperitur inter Petrum, & Paulum in eadem specie hominis.

Sed contra, quia licet illa non sit maxima, cum specifica, nihilominus est maxima generica, quia est convenientia in ultimo genere negationis, & etiam est maxima inter alias, ut est inter duas res diversi gradus, & ordinis, ut est convenientia, inter accidens & substantiam, inter modum & rem, inter Deum & creaturam: sed demus non esse maximam in eo sensu, nihilominus non potest negari, quin sit maxima ut non possit fundari contradictionem, & ut opponatur maximæ disconvenientiæ repertæ inter duos terminos contradictorios quod sufficit ad nostram conclusionem, ut videre est inter duas species positivas, v. g. inter hominem, & leonem, quæ ex eo quod conveniunt in genere, licet distinguantur specie, non sunt contradictoriæ, nec possunt

possunt fundare contradictionem immediatam, & primariam, inter se, quia illa est maxima convenientia ad hunc finem: ergo si illæ duæ negationes specie distinctæ habent maximam convenientiam genericam, non poterunt fundare oppositionem contradictoriam, quia rationes eiusdem ordinis ut duo accidentia, duæ substantiæ minime fundant illam.

13 Nam sicut duæ species, quæ ambæ positivæ sunt, ut leo, & equus, non possunt dicere immediatam, & primariam contradictionem, quia maxime conveniunt genericæ, cum assimilentur in ratione animalis quæ est genus immediatum ad tales species, omnis enim contradictio regulatur cum illis principiis impossibile est idē simul esse, & non esse, quodlibet necessario vel est, vel non est, quæ principia compacta atque composita sunt ex duobus terminis, uno positivo, & altero negativo immediate, & essentialiter eiusdem positivi, ita ut nullo modo possint componi ex utroque termino positivo, vel ex utroque negativo, nam improprie perperam, ac frigide diceremus, impossibile est idem simul esse, & esse, vel idem simul non esse, & non esse, tale enim principium esset falsissimum, quia falsum est dicere, impossibile esse, quod simul Petrus habeat esse, & sit; neque possumus etiam dicere, quodlibet est, vel est, quodlibet non est vel non est, ita etiam duæ species ambæ negativæ formaliter non possunt esse contradictoriæ immediate, & primariæ inter se propter eandem rationem, propter quam non possunt esse contradictoriæ duæ species positivæ, ut equus, & taurus, quia non datur maior ratio unius, quam alterius; unde sequitur necessario quod unū contradictorium ita immediate, & primario repugnet alteri, & removeat illud secundum se totum, ut sint sine aliqua convenientia in aliqua ratione intrinseca utrique communi, hoc est sine identitate cum altero, vel realiter, fundamentaliter, vel formaliter per rationem.

14 Quia cum contradictorium, v. g. negativum sit primario, & totaliter non esse alterius, necessario est ut in nulla ratione communi convenient, & secundum totam suam adæquatam rationem, tam superiorem, quam inferiorem, dividantur, & separantur: sed una negatio eiusdem generis cum alia, non totaliter, & adæquate disconveniunt, dissimulantur, dividuntur, ac separantur, siquidem identificantur fundamentaliter à parte rei, & formaliter per intellectum, in ratione superiori genericæ immediatæ negationis in qua assimulantur, & conveniunt essentialiter, quæ est fundamentalis identitas, quia fundat formalem identitatem per rationem: ergo impossibilis est ut una negatio sit à parte rei contradictorium, immediatum, & primarium alterius: ergo non potest esse negatio primaria, & immediata alterius negationis; sed repugnantia formalissime per vos est negatio: ergo possibilis, quæ etiam per vos est negatio, non est immediata, & primaria negatio repugnantia; ratio autem à priori est, quia oppositio contradictoria, est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem eisdem servatis: ergo oppositio contradictoria debet constare ex terminis affirmativis, & negativis, ita ut ex una parte propositio sit tota affirmativa, & ex altera parte sit tota negativa, ratione copulæ negantis, ut v. g. Petrus est homo Petrus, non est homo; quare si ambæ propositiones simul sint, vel affirmativa vel negativa, nulla datur oppositio contradictoria in-

ter illas; quare sicut hæ duæ propositiones non sunt contradictoriæ, Petrus est homo, Petrus est homo, aut hæ duæ Petrus est homo, Petrus currit, ita similiter hæ duæ non sunt contradictoriæ, Petrus non est lapis, Petrus non est lapis, &c. ut ex dictis in summis est evidens, itaque, semper inter propositiones contradictorias, una debet esse affirmativa, & altera negativa.

Sed propositio affirmativa debet habere obiectum sibi proportionatum quod immediate, & contradictoriè opponatur obiecto propositionis negativæ, ideo enim propositiones opponuntur, vel eo modo se habent propositiones inter se, si sint veræ, quo se habent obiecta earum inter se: ex eo enim quod res est vel non est propositio dicitur vera, vel falsa; sed obiectum proportionatum propositioni affirmativæ, est positivum identitas videlicet inter prædicatum, & subiectum, & obiectum proportionatum propositioni negativæ est negativum, negatio videlicet identitatis eiusdem inter prædicatum, & subiectum: ergo obiecta contradictoriæ primariæ, maxime, & immediate opposita à parte rei inter se, debent talis esse conditionis, ut unum necessario sit à parte rei positivum, & alterum totalis adæquata primaria, & immediata negatio talis positivi.

Nam oppositio contradictoria est maxima omnium oppositionum essentialiter, ita ut neque naturaliter, neque divinius possit esse alia maior eas; nam si alia maior posset esse oppositio contradictoria essentialiter non esset maxima, sicut Deus est summum, & maximum, quia eo aliud maius esse non potest: sed opposita immediate, & maxime, totaliter, & adæquate sunt pure adæquate opposita: ergo omne quod datur in uno opposito contradictoriè debet esse oppositum omni quod datur in alio; sed omne oppositum alteri in ea ratione qua oppositum est illi, est dissimile, disconveniens, ac proinde non simile neque conveniens eidem, quia dissimilitudo, & disconvenientia in ea ratione, qua talis est excludit convenientiam, & similitudinem negando illam, v. g. albedo in ea ratione qua opponitur nigredini disconvenit cum illa, dissimilatur ipsi ac per consequens non convenit cum illa, nec assimilatur illi negatque convenientiam, & similitudinem, cum eadem: ergo omnis formalitas quæ est in uno contradictorio nullo modo convenit cum alia formalitate, quæ est in alio, & sic nullo modo unum contradictorium potest convenire cum alio in aliqua ratione, & formalitate existente in illo: sed duæ species, siue sint negativæ, siue positivæ, non disconveniunt nec dissimulantur in omnibus formalitatibus, quas habent; sed solum in differentiis specificis, quia præter illas in omnibus gradibus superioribus à genere immediato usque ad summum prædicatum conveniunt; quare magis conveniunt quam disconveniunt; siquidem per solam differentiam individualement, & specificam differunt, & per gradus omnes superiores conveniunt: ergo duæ species siue positivæ siue negativæ non opponuntur contradictoriè, ac per consequens una non est primaria, & immediata negatio alterius: sed possibilitas, & impossibilitas, seu repugnantia ad existendum, sunt per vos duæ negationes specie differentes contentæ sub negatione necessaria ut sic, tanquam sub ratione genericæ immediatæ: ergo possibilitas non potest esse primario, & immediate impossibilitatis, aut repugnantia ad existendum: ergo alterius rationis positivæ im-

possibile, & dicitur;

diatē, & primario negatio est licet secundario, & mediatē, neget repugnantiam, & impossibilitatem, ut videtur in cæcitate & morte, quæ quia duæ species privationis sunt immediate, & primario vna non negat aliam, licet mediatē, & secundario neget illam ratione distinctionis, quam habent inter se, & sic est verum dicere mors non est cæcitas, nec cæcitas est mors, alias nullus cæcus viveret.

17 Quod autem duo opposita contradictorie ex eo quod maxime opposita sint debeant totaliter, & adæquate opponi inter se contradictorie est evidens in his, homo non homo, equus non equus, nihil enim est in homine quod conveniat cum negatione hominis, quia totum quod est in homine quatenus oppositum contradictorie non homini est positivum; unde si aliquid est in homine, quod non sit positivum, nullo modo erit contradictorium non hominis propter rationes supradictas: sed positivum, ut positivum in ea ratione, quæ tale est, nullo modo convenit cum negatione quæ talis est: ergo nihil est in homine, quatenus contradictorium est non hominis, quod est negatio hominis, per quod conveniat cum non homine: ergo nihil est in vno contradictorio per quod conveniat cum altero, & per quod non opponatur alteri: ergo vnum contradictorium totaliter, & adæquate, opponitur alteri, & non convenit cum ipso, ratio à priori est quia id quod summum, & maximum est in aliqua ratione, est purum in illa ratione; unde quia Deus summe perfectus, & summe actus est, pure perfectus, & pure actus est, ac proinde totaliter, & adæquate perfectus, & actus est sine vlla potentialitate, & imperfectione, sicut quod in creatis summus spiritus est, ut est Angelus pure spiritus est, ac proinde totaliter, & adæquate spiritus est; e contra, quia homo non est intellectivus pure non est maxime intellectivus nec totaliter, & adæquate intellectivus, quia secundum quod sentit non intelligit, sicut quia non est summe corpus, seu summe materialis non est pure materialis, ac tandem non est totaliter, & adæquate materialis sicut est lapis, quia est summe, & pure materialis: sed vnum contradictorium est summe, & maxime oppositum alteri: ergo est pure oppositum illi, ac per consequens totaliter, & adæquate oppositum ipsi, & sic omne quod est in vno contradictorio opponitur alteri, disconvenit cum illo, & non convenit nec assimilatur ipsi.

Tandem, quia si daretur aliqua contradictio, quæ adæquate, & totaliter non opponeretur alteri, & non disconveniret cum illo, non esset maxima, siquidem daretur alia maior, videlicet oppositio, quæ datur inter cæcitatem, & visum quæ totaliter opponuntur, & nihil est in cæcitate, quod conveniat cum visu: ergo oppositio privativa, quæ est inper dicta, & est alia ab oppositione contradictoria, erit maior ipsa, quod est falsissimum, alias hæc, & non illa summa esset: ergo ex his omnibus evidenter sequitur vnum oppositum contradictorie debere ita adæquate, & totaliter opponi alteri, ut nihil sit in illo per quod non opponatur illi, ac proinde nullo modo per aliquam formalitatem existentem in ipso conveniat cum eodem, quapropter si possibilitas est negatio formalis, & repugnantia est etiam negatio formalis inter illas, non dabitur oppositio contradictoria, neque vna erit negatio immediata, & primaria alterius.

SVBSECTIO VIII.

Secundum principale argumentum ponitur.

18 Via ideo per vos possibilitas opponitur contradictorie impossibilitati, & repugnantia, & e contra, quia possibilitas non est pura negatio, seu est non pura negatio, & impossibilitas, seu repugnantia est pura negatio: sed pura, & non pura negatio non possunt opponi contradictorie: ergo possibilitas, & impossibilitas, ratione puritatis, & non puritatis, non possunt opponi contradictorie. Maior est ipsa conclusio adversariorum, Minor in qua est tota difficultas sic demonstratur, quia negatio non pura, neque est contradictorium respectu negationis puræ: ratione proprii connotati, nec propter taleitatem per quam constituitur in ratione negationis non puræ, & per quam differt essentialiter à negatione puræ, nec propter rationem superiorem negationis, ut sic genericè constituentem illam: ergo nullo modo contradictorie opponitur negatio non pura negationi puræ. Antecedens quoad connotatum sic probatur, quia vnum contradictorium per se ipsum esse, & non per aliud esse distinctum à se opponitur alteri contradictorio: sed connotatum possibilitatis distinguitur ab esse formali negationis non puræ tanquam positivum à negativo, propter quod etiam distinguitur à negatione puræ: ergo negatio non pura non opponitur contradictorie per connotatum negationi puræ. Maior sic probatur, quia vnum contradictorium opponitur alteri immediate, & non mediate, quia oppositio contradictoria est immediata, & maxima: sed si contradictorium opponeretur non per se ipsum esse, sed per aliud esse distinctum à se, non opponeretur immediate, sed mediate: ergo vnum contradictorium non per aliud esse à se opponitur alteri.

Minor in qua est difficultas sic probatur, quia tunc opponitur aliquid mediate, & non immediate, quando opponitur per aliquid, quod mediat inter utrumque oppositum: sed si vnum contradictorium opponeretur alteri non per se ipsum, sed per aliquid distinctum à se ipso, opponeretur per aliquod medium inter ipsum, & alterum oppositum: nam opponeretur per aliquid distinctum à se, & distinctum ab altero opposito, quia vnum oppositum non opponitur alteri per ipsum esse alterius oppositi cui opponitur; alias alterum oppositum sibi ipsi per se ipsum immediate opponeretur, & sic idem esset distinctum à se ipso: illud enim per quod vnum alteri opponitur, si distinguatur ab utroque opposito, mediat inter utrumque, & est medium, in quo ambo extrema opponuntur, v. g. quia quantitas alba, vel frigida in summo opponitur quantitati nigræ, aut calidæ in summo per albedinem vel frigiditatem distinctam à quantitate nigræ, vel calidæ; hæc quantitas non à quantitate nigræ, vel calidæ, sed mediate, quia opponitur alteri immediate, sed mediate, quia opponitur per id quod neque est vnum nec alterum extremum, & est ratio, quæ immediate attingit utrumque extremum oppositive. Item rationale non opponitur contradictorie irrationali, ac proinde neque immediate, quia opponitur illi per negationem distinctam à rationalitate, & irrationalitate, eo quod ipsæ sint entitates positivæ, in cognitionibus etiam evidenter constat, nam cog-

nitio abstractiva vocatur mediata, quia attingit Deum non ratione sui, sed ratione creaturae cognita, quae est distincta ab ipsa cognitione, & à Deo cognito: ergo si unum contradictorium opponitur alteri non ratione sui, sed ratione alicuius distincti à se, & ab alio extremo, & quod non est unum neg alterum oppositum, non opponitur immediate, sed mediate illi.

19 Videntur quia si possibilitas, quae est negatio non pura, negaret negationem puram, aut opponeretur illi per aliquid distinctum à se, non esset negatio immediata negationis purae aut repugnantiae, quia illud negat aliquid immediate quod remouet sine medio: sed quod remouet sine medio non est per aliquid distinctum à se, sed per se ipsum immediate, v. g. non homo remouet immediate hominem, quia per se ipsum sine medio negat hominem, non homo enim secundum totam suam rationem immediate est negatio hominis. Vnde si possibilitas non per se ipsam: sed per suum connotatum remouet repugnantiam, tota contradictio non erit inter possibilitatem, & repugnantiam, sed inter repugnantiam, & connotatum possibilitatis, cum inter hæc solum detur immediata remotio quod erit contra ipsos aduersarios: ergo possibilitas seu negatio non pura non opponitur repugnantiae per suum connotatum, ratione cuius sit contradictorium repugnantiae, nec etiam opponitur per rationem negationis, ut sic contradictorie negationi purae, vel repugnantiae, quia ratio superior indifferens respectu aliquarum specierum, non opponitur contradictorie alicui ex illis speciebus, quia identificatur cum illis, ut animal identificatur cum homine, & leone, quibus non potest opponi villo modo, totum enim potentiale non opponitur contradictorie, & maxime suis partibus potestatis, nec potest esse ratio formalis, quare una species contradictorie opponatur alteri, quia ratio formalis vniendi aliqua non potest esse ratio formalis diuidenti illa maxime secundum summam diuisionem, quae oppositio contradictoria est; item quia ratio communis constituit essentialiter species contentas sub illa secundum illud dici de omni, &c. sed unum contradictorium non constituit essentialiter sibi alterum contradictorium, nec ratio constituendi unum in esse contradictorium potest esse ratio constituendi essentialiter alterum in suo esse, ergo ratio superior, quae essentialiter constituit omnes species contentas sub illa, non potest esse contradictorium alicuius ex illis; sed negatio ut sic est superior respectu negationis purae, & non purae, & utramque constituit essentialiter, & est utrique communis: ergo negatio ut sic nullo modo potest esse contradictorium respectu negationis purae, nec potest esse ratio constituendi negationem puram in ratione contradictorii respectu non purae, vel e contra, quia iam idem esset oppositum respectu sui ipsius, nam superior est idem cum inferioribus; vnde si superior opponitur alicui inferiori opponetur illi, quod est idem secum, vnde si bi ipsi opponeretur.

20 Nec etiam taleitas, & differentia specifica negationis non pura potest esse ratio opposita contradictorie negationi purae, quia illa taleitas est negatio intrinseca, & essentialiter, & nihil habet admixtum positivi: sed negatio ut negatio, ut late probatum manet, non opponitur contradictorie alteri negationi: ergo illa taleitas, quae simpliciter, & absolute negatio est sine aliquo

positivo non potest esse ratio opposita contradictorie alteri negationi: maior est certa, quia differentia est eiusdem rationis cum suo genere, ita ut ad genus positivum sequatur, & contrahat illud differentia positiva, ita ut si genus positivum sit, minime possit contrahi per differentiam negatiuam, & ad genus negatiuam differentia negatiua sequitur, ut videre est in caecitate, & tenebris respectu negationis ut sic; sed illa falsitas negationis non pura est differentia contractiva generis negatiui, negationis scilicet ut sic: ergo illa taleitas est negatio absolute, & simpliciter: ergo non potest opponi contradictorie alteri negationi, nec potest dici quod detur aliquid positivum in illa, quia si illa taleitas habere aliquid positivum, iam possibile constitueretur à positivo actu sive actualiter, saltem inaduate; vnde ab aeterno aliquid actu positivum esset, contra quod insurgunt omnia argumenta nuper facta.

Dices negationem non puram per se ipsam immediate remouere posse puram seu meram negationem. Sed contra, quia negatio non pura, vel potest remouere immediate, vel per se ipsam negationem puram, quae praecise quaedam negatio est, vel quae non pura negatio est; non primum, alias quaecumque negatio posset remouere quancumque negationem, ut terminum sibi contradictorium; si secundum: ergo non remouet, quia negatio est; sed quia quid positivum importat connotatum; probatur consequentia, quia non dicitur non pura nisi per positivum, quod connotat, & determinat: quia secundum ea per quae essentialiter constituitur, tam in ratione generica, quam in ratione specifica, cum nihil includat positivum, necessario negatio quaedam pura erit, id est non permixta intrinsece realitate, & negatione: sed per te negat suum contradictorium repugnantiam scilicet, quae non pura negatio est; ergo quia permixta positivo: ergo positivum est, quod remouet repugnantiam, non autem ipsa negatio. Patet vltima consequentia, quia negatio illa secundum quod non pura negatio est, reduplicat supra rationem formalem constituentem ipsam in ratione non purae negationis, id est contra positivum, quod permixtum negationi efficit illam non puram negationem: sed per te remouet quia non pura negatio est repugnantiam: ergo quare duplicat rationem formalem constituentem illam non puram: ergo quia reduplicat positivum: ergo positivum est quod remouet repugnantiam non negatio.

Dices negationem illam non puram non remouere repugnantiam per positivum: sed per se ipsam connotationem ad positivum constitutam, possibilitas enim constituitur in esse negationis non purae per positivum connotatum: sed per connotationem ad illud, itaque negatio connotans positivum est immediatum contradictorium repugnantiae, seu negationis purae.

Contra primo, quia vel illa connotatio quae formaliter intrinsece constituit possibilitatem in esse termini contradictoriae repugnantiae est aliquid positivum vel negativum; si negativum: ergo potest esse ratio formalis talis oppositionis, quia una negatio non opponitur contradictorie alteri negationi propter rationes iam supra factas: nec potest esse ratio formalis constituendi in oppositione contradictoria negationem respectu alterius negationis, sicut v. g. una species positiva non potest esse contradictoria alterius speciei positivae.

476

fitivæ, ratione alicuius formalitatis positivæ, quia sicut primam positivum, quia positivum est, & convenit maxime in ratione positivi, vt sic, non potest opponi alteri positivo, propter se ipsum; nec propter rationem formalem positivam sibi additam poterit opponi, quia illa ratio formalis addita est intra rationem, & gradum positivum, & convenit maxime cum altero in ratione superiori positivi vt sic; vnde illa ratio formalis addita alteri, vel fita per vos, vt opponatur illi contradictorie est ratio conveniendi cum altero in ratione positiva vt sic, concretum enim ex ratione formali, & materiali positivam convenit cum altero positivo in ratione positiva vt sic, v.g. Pater convenit cum alio Patre in ratione positiva vt sic, non solum ratione materialis, sed etiam ratione formalitatis, quia talis formalitas est ratio positiva, & constituit in esse positivi concreti, atque adeo in esse convenientis cum altero concreto positivo, & per consequens non potest rationi illius formalitatis positivæ, v.g. ratione Paternitatis, pater opponi contradictorie alteri concretis positivo, v.g. Patri aut filio, & cæteris propter rationem dictam, quia tali relatione constituitur in esse positivi concreti, ac per consequens in esse convenientis cum altero in ratione positiva vt sic: ergo ipsa ratio formalis non potest constituere idem subiectum respectu eiusdem in esse maximi oppositi, & repugnantis, quia iam constitueret in esse repugnantis, & non repugnantis idem: ergo similiter si possibilitas in quantum negatio est, non potest esse contradictorium repugnantia, quæ etiam altera negatio formalis est, quia oppositio contradictoria, nec potest esse inter duos terminos positivos: sed necessario petit vt vnus sit positivus, & alter negativus, nec propter connotationem poterit constitui in ratione termini contradictorii repugnantia, siquidem ex vi illius connotationis, non extrahitur possibilitas à ratione negationis, quia talis connotatio per vos non est positiva: sed negativa formalitas, & sic constituit ipsam possibilitatem in statu concreti negativi, sicut paternitas, quia est formalitas positiva constituit patrem in esse concreti positivi; vnde ex vi illius connotationis, quæ formalitas negativa est constituetur possibilitas in esse convenientis in negatione vt sic, cum repugnantia in esse speciei negationis participantis eandem rationem geneticam negationis, quam participat repugnantia, ac per consequens constituitur in esse habentis identitatem fundamentalem realem, & formalem unitatem rationis in negatione vt sic cum repugnantia: ergo nullo modo ex vi illius connotationis constituitur in esse termini contradictorii, respectu repugnantia, quia termini contradictorii nullam habent, nec identitatem realem fundamentalem inter se, nec unitatem rationis formalem, cum habeant maximam, & immediatam omnium oppositionem inter se, quæ contradictoria est, ratione cuius in omnibus distinguuntur, discernuntur, ac dividuntur, sine aliquo consortio identitatis, aut unitatis inter se, & etiam à paritate rationis repetitur inter duas species positivas, & inter duas species negativas.

Secundo contra, quia illa negatio, quæ contradic-
torium est alterius, per id contradicit illi, per
quod est immediate negatio illius, quia negatio in
tantum contradictorium alterius est, in quantum
illud primario, & immediate negat, v.g. non homo

est contradictoriorum hominibus, quia immediate primario, & formaliter negat hominem: ergo si repugnantia est terminus contradictoriorum possibilitatis, & possibilitas repugnantiae, per id constituitur in esse contradictoriorum, vel ex eo quod sit primaria, & formalis negatio repugnantiae, & ex eo quod immediate, & primario negat illam, ita ut omnia quae reperiuntur in possibilitate, & quae non faciunt formalissima ratio negationis alterius, neque poterunt conducere ad rationem contradictoriorum, nec poterunt constituere illud extremum formaliter in ratione contradictoriorum alterius, v.g. in tenebris, quatenus sunt non lux, illa enim non constituuntur in esse contradictoriorum lucis per connotationem ad parietem in quo possumus esse, quia etiam possumus esse in aëre, quia talis connotatio, quatenus expresse hoc conceptu connotationis significatur, non est ipsa formalissima ratio expresse negationis lucis, sed potius videtur supponere illam, privato enim lucis quatenus talis est, connotat parietem, aërem, &c. sed connotatio possibilitatis, vel quae est in possibilitate respectu existentiae formaliter, & expresse non est negatio primaria, & immediata repugnantiae, talis enim connotatio, quatenus hoc expresse conceptu connotationis exprimitur, non tendit, nec dirigitur immediate, & primario ad removendam, seu negandam repugnantiam; sed potius directe, & primario tendit in aliquid positivum distinctum realiter a repugnantia, & quod a se remouet essentialiter ipsa repugnantia, quod nihil aliud est quam existentia, ideoque talis connotatio concipitur, quasi respectus, tendentia, & connectio cum existentia, & ad illam; unde expresse possibilitas non constituitur formaliter, & expresse in esse negationis repugnantiae per ipsam expresse in esse negationis repugnantiae ad existentiam expressam connotationem ad existentiam: ergo per ipsam connotationem formaliter, & expresse non constituitur in esse termini contradictoriorum repugnantiae, quia contradictorium quatenus tale constituitur formaliter in illo est tendentiam remotivam seu per expressam, & formalem negationem sui contradictorii, ratione cuius immediate, & primario tendit in contradictorium, ut illud destruat, negando ipsum; cum autem illa connotatio ad existentiam non sit formalis, expressa, immediata, primaria, ac directa tendentia ad suum contradictorium per modum formalis remotionis illius, sed potius sit tendentia primaria, & directa expressa tendentia non remotiva contradictorii, sed potius connectiva, & quasi unitiva cum proprio actu perfectivo possibilitatis, sequitur necessario, & evidenter quod ipsa connotatio non constituit possibilitatem in esse contradictorii immediati, & formalis repugnantiae.

Si talis connotatio est quid positivum: ergo vel
à se vel ab alio, & quodcunque dixeris redeunt
omnia argumenta, quæ à nobis facta sunt contra
Basil. Ponze, & quæ ab adversarijs contra ipsum
facta fuerunt.

Deinde: ergo possibilitas formaliter, & expresse
constituitur intrinsece, & essentialiter non per or-
dinem ad positivum solum, sed etiam per aliquod
intrinsecum, & essentialiter prædicatum positivum
intrinsece, & essentialiter constitutum illius,
intrinsece, & essentialiter adversarij, ac maxi-
mè quod maxime renunt ipsi adversarij, ac maxi-
mè absurdum iudicabant, dum nobiscum, ac
pro nobis in circo nostræ secundæ conclusionis
pugnabant contra Basil. Ponze. Tandem sequetur
aliud

aliud maximum absurdum, possibilitatem nimirum esse mixtam essentialiter ex positivo, & negativo, quod nullus usquam dixerit, ex quo eveniet manifestè, ut adversarius incidet in Syl- lam cupiens vitare Caribdim.

SUBSECTIO I.

Primum argumentum principale ponitur, & probatur.

27 **V**ltimo sic probatur, quia in sententia ad- versariorum duæ negationes affirmant, ita ut negatio negans negationem proprie, & for- maliter non sit negatio, sed potius positivum: atqui possibilitas est negatio formalis: ergo non potest esse negatio repugnantia, quia iam pos- sibilitas non esset negatio: sed positivum, quæ con- sequentia probatur, quia repugnantia est nega- tio: sed possibilitas per se negat primatio, & im- mediate repugnantiam quæ etiam est negatio formalis: ergo possibilitas est negatio formalis, negationis formalis: ergo possibilitas est positi- vum, siquidem per vos negatio negationis posi- tivum quid est, quod est contra vos: & si non est positivum, ut asserunt, non erit negatio imme- diate, & primatio repugnantia, quæ formalis negatio est: sed alterius positivi; vel duæ nega- tiones non affirmant, & negatio negans nega- tionem, non est positivum: vel si negatio ne- gans negationem est positivum, possibilitas quæ talis erit, erit positivum, quod est summum ab- surdum in sententia adversariorum.

28 Nec valet dicere negationem non puram posse negare immediate negationem puram: non inquam valet, tum propter dicta supra; tum etiam, quia negatio non pura negatio est, & ex eo quod sit non pura, id est ex eo quod connotet positivum non definit adæquate, & totaliter esse negatio intrinsecè, & formaliter, v. g. ex eo quod cæ- citas connotet positivum oculi, cui inhæreat, tanquam subiecto, & ex eo quod tenebræ con- notent aërem tanquam positivam entitatem in qua sunt, & quia formalitas peccati commissio- nis connotet materiale illius peccati quod, infi- ciat, & contaminet, non delinunt esse adæqua- tæ, & totaliter intrinsecè, & formaliter nega- tionis, & repugnantia, seu pura negatio etiam totaliter, & adæquate negatio est: ergo si non pura negatio est, negatio repugnantia sine du- bio erit negatio negationis: ergo erit non nega- tio, sed positivum; ideo enim in aëre non tene- bræ, non est negatio: sed positivum lux scilicet, & non cæcitas, in animali non est negatio formalis: sed potius positivum, in eorum sen- tentia, quia est negatio negationis, & negatio negationis est quid positivum; unde non cæci- tas quæ est negatio negationis erit positivum id est visus: sed possibilitas est negatio alterius negationis immediate, & primario, hoc est re- pugnantia: ergo non est negativum: sed positi- vum, & si negativum, seu negatio est, non erit negatio repugnantia: sed alterius rei posi- tivæ.

29 Dices non puram negationem æquivalere po- sitivo, & ideo posse facere, quod positivum fa- ceret id est negare negationem, manendo in esse negationis, sicut res spiritualis, & indivisi- bilis, quia æquivaler divisibili, & extenso potest

facere quod extensum, sicut anima rationalis, quæ spiritualis, & indivisibilis est, quia æquiva- let formæ divisibili; potest informare corpus divisibile, sicut illa: ergo similiter poterit pos- sibilitas licet sit negatio, negare alteram negatio- nem, quia æquivaler positivo.

Contra primo, quia licet res superioris ordi- nis, possit æquivalere rei inferioris ordinis pro- pter perfectionem eminentiæ, quæ reperitur in re superioris ordinis, ratione cuius quasi conti- net in virtute vel eminenter rem inferioris ordi- nis; res autem inferioris ordinis nullo modo potest æquivalere rei superioris ordinis, quia non continet perfectionem eminentiæ rei superioris ordinis: nec superant in perfectione illam, & ideo non possunt illam eminenter, seu virtuali- ter continere; ratione cuius non possunt æqui- valere res inferioris ordinis rebus ordinis supe- rioris; exemplis evidentibus, tam in physicis quàm in moralibus illustratur: intellectus divinus, & voluntas, licet habeant summam identitatem inter se propter summam simplicitatem suam, ni- hilominus, quia propter infinitam perfectionem quam habent, habent æquivalentiam respectu intellectus, & voluntatis distinctorum inter se, ut sunt intellectus, & voluntatis creatura, ra- tione cuius possunt se habere in suis productio- nibus, sicut & voluntas & intellectus in creat- is, & ideo sicut est verum dicere quod intelle- ctus creatus producit Verbum mentis, quod non producit, voluntas creata, & hoc propter distin- ctionem expressam, & formalem, quæ reperi- tur à parte rei inter illas potentias, ita similiter intellectus, & voluntas divina propter distin- ctionem non formalem realem: sed æquivalen- tem, aut eminentialem, possunt se ita habere ut intellectus divinus producat Verbum, voluntas autem non producat; item, quia Deus æquiva- let rebus extensis, est in hoc toto mundo ex- tensio, licet formaliter sit omnino indivisibilis, quod etiam habet Angelus, & anima rationalis, hæc ad informandam materiam extensam, ille ad habendam præsentiam in loco extenso determi- nato; contra vero res corporea non potest æquivalere neque Deo, neque Angelis, neque animæ rationali, quia est inferioris ordinis, res- pectu rei spiritualis, & sic non potest res corpo- rea extensa naturaliter esse in loco indivisibili, & indivisibiliter, ut Angelus, & anima rationa- lis; illi enim non solum existunt divisibili præ- sentia in loco divisibili, & extenso: sed & in- divisibili etiam in indivisibili loco.

Item, quia causa efficiens spiritualis, ut Deus & anima rationalis, æquivalent causis corporeis efficientibus, & sic producant Deus substantiam corpoream, accidentiaque materialia, anima ra- tionalis operationes corporeas, ut sunt visio, & auditio mediantibus potentijs corporeis auditi- va scilicet, & visiva; nulla autem entitas creata corporea potest æquivalere entitatibus spiritua- libus, & ideo propria virtute non potest produce- re effectus spirituales, quod non contingit pro- pter aliam rationem, nisi quia res corporea est inferioris ordinis respectu spiritualis, & ideo non potest æquivalere illi. Deinde sensus com- munitis æquivaler sensibus inferioribus, & ideo potest attingere objecta illorum, ut sensus, v. g. auditus, &c. sensus autem inferiores quia sunt imperfectiores sensu communi, non æquivalent illi: & ideo non attingunt perfectiorem, opera- tionem,

tionem, & obiectum formale illius sensus, quod evidencius patet in intellectu respectu omnium sensuum corporum; intellectus enim attingit omnia obiecta sensuum; nullus autem sensus attingit Deum qui est obiectum intellectus, quia non aequivaleret illi propter suam imperfectionem qua superatur ab intellectu. Item Rex in moralibus aequivalet omnibus dignitatibus inferioribus, ut Proregum, Gubernatorum, Generalium, Ducum, & Admirantium, & sic per se potest facere quaecunque operationem illorum; nullus autem ex illis potest attingere operationem propriam Regis, quia illi non aequivalent, & hoc contingit, quia est superioris ordinis Rex, & isti sunt inferioris ordinis, & idem est in summo Pontifice respectu ceterorum Episcoporum propter eandem rationem superioritatis, & inferioritatis in perfectione, & ordine; sed negatio formalis est inferioris ordinis respectu rei positivae, & res positiva magis superat in perfectione, & excellentia negationem quam una res positiva aliam: ergo negatio formalis non potest aequivalere rei positivae: ergo non potest facere quod illa: ergo non potest opponi contradictorie negationi, quia deficit illi ratio formalis positiva, ut de se patet, & aequivalentia ad illam, ut probatum est.

Secundo contra, quia quando convenit alicui aliqua ratio formalis, quatenus tale est, tanquam propria ipsius, non potest eadem ratio formalis convenire opposito ipsius, nec formaliter, nec aequivalenter: sed negatio formalis opponitur positivo formali, & positivum formale, quatenus tale, & quatenus opponitur negationi habet tanquam proprium praedicatum conveniens ei ex natura sua quod opponatur negationi: ergo non potest convenire hoc ipsum praedicatum opposito ipsius positivo, negationi nimirum formali, nec formaliter, nec aequivalenter; unde licet negatio possit aequivalere in alijs positivo, non autem hac ratione propter dicta. Maior est certissima, non solum in formaliter, & proprie oppositis: sed etiam in his, quae non habent veram & propriam oppositionem; sed solum aliqualem, inter opposita enim vera, & propria sunt relativa, v.g. Paternitas, & filiationem, nam quia Paternitas habet pro suo termino, aut filiationem aut entitatem filij, & hoc habet quatenus opponitur filiationi, ideo filiationi non potest convenire, quod habeat pro termino, nec formali, nec aequivalenter aut ipsa filiationem, aut entitatem genitum filij, & quia tenebrae opponuntur luci, & luci convenit quatenus tenebrae opposito illuminare, aut calorem producere non potest tenebris, nec aequivalenter, nec formaliter convenire illuminare subiectum, & idem est in visu respectu caecitatis, & in albedine respectu nigredinis, cui nullo modo nec aequivalenter, nec formaliter potest convenire disgregare visum, quia tale praedicatum convenit albedini, quatenus opponitur nigredini, & idem est in oppositis contradictorijs; nam quia homini, quatenus homini convenit esse animal rationale formaliter, non potest non homini convenire haec definitio, nec formaliter nec aequivalenter, quod non solum contingit in rationalitate: sed etiam in risibilitate, in capacitate scientiae & disciplinae, quia haec praedicata conveniunt homini, quatenus opponitur non homini, accidens autem licet non proprie, aliquo modo tamen opponitur substantiae, in hoc quod accidens est ens in alio, & non in se, & substantia est ens in se

& per se, sive subsistens, & quia substantia convenit substantiae, quatenus opponitur suo modo accidenti, nec formaliter, nec aequivalenter potest ipsa convenire accidenti.

Ratio autem universalis horum est, quia si quod uni opposito, quatenus tale est, convenit formaliter alteri opposito, conveniret vel aequivalenter vel formaliter, nullo modo proprie opponeretur inter se, v.g. quia luci convenit producere calorem, & calori etiam convenit, licet luci conveniat aequivalenter in ea ratione producendi calorem, nullo modo opponuntur, sed potius conveniunt: ergo si id quod opposito, quatenus opposito, tanquam proprium, & peculiare praedicatum convenit formaliter, conveniret etiam alteri opposito, quatenus tali, aut aequivalenter, aut formaliter in ea ratione, nullo modo opponeretur; ex quo sequeretur opponi, & non opponi eadem sub eadem ratione formalis; unde idem esset, & non esset simul, quod est contra evidentissimum omnium axioma, videlicet impossibile est idem simul esse, & non esse, opponeretur quidem, quia supponimus esse opposita, non opponeretur, quia iam convenirent, ut vos nunc asseritis in habendo eandem rationem formalem: sed negatio quatenus est non positiva ratio opponitur contradictorie positivae rationi: ergo quod convenit per se, & ex sua natura rationi positivae, scilicet opponi negationi per seum esse, ex natura ipsius rei positivae non poterit convenire opposito ipsius, scilicet negationi: atqui possibilitas per vos est negatio formalis: ergo non potest aequivalere rei positivae in opponendo se negationi per seum ipsum esse propter rationem dictam.

Item, & interrogo a vobis, cur duae entitates positivae nunquam se contradicant immediate rationem tribuatis dicendo ad contradictionem necessario requiri, ut ambo extrema non sint positiva, sed potius ut vnum sit positivum, & alterum negativum.

Sed contra, quia etiam non debet esse verum, quod extremum negativum, ut dicitur contradictio, & nihilominus asseritis posse duo extrema negativa immediate opponi contradictorie ex eo solum quod dicatis vnum aequivalere positivo, etiam si formaliter sit negativum: ergo & similiter nos possumus dicere duo extrema positiva posse immediate contradictorie opponi, quia vnum ex illis licet sit positivum, aequivalet negationi, quia non est maior ratio, cur negatio possit aequivalere positivo, & positivum non possit aequivalere negationi; imo maior ratio datur in nostro casu, quam in vestro, quia, ut patet ex supradictis, hoc quod est aequivalere, potius convenit superiori respectu inferioris, quam e contra; sed positivum est superius respectu negationis: ergo potius positivum debet aequivalere negationi (ut identitas divina inter absoluta, quae est positiva, aequivalet distinctioni, quae est negatio per vos, quam e contra distinctio inter duo extrema positiva: ergo a fortiori non poterit dari inter extrema negativa, etiam si detur ficta vestra aequivalentia.

Urgeo, quia ut quoad modum loquendi duntaxat, & contradictoriae in his terminis, v.g. tenebrae, & non tenebrae termini ipsi quoad modum loquendi ita se debent habere ut vnum sit positivum, & non formaliter extremum, v.g. tenebrae, & non sufficit quod sit solum terminus aequivalenter positivus,

tivus, & alter terminus debet esse necessario formaliter negativus, v. g. non tenebræ, ut patet ex illa particula *non*: ergo ut à parte rei deat oppositio contradictoria quoad rem ipsam, non sufficit quod vnum extremum sit æquivalenter positivum: sed necesse est ut sit formaliter tale.

SVBSECTIO II.

Conclusio ponitur.

33 Possibilitas ex parte creaturæ non est adæquate totaliter denominatio extrinseca ab omnipotentia Dei: sed potius dicit aliquid intrinsecum ex parte sui, ratione cuius distinguitur à chimera, & explicatur per aptitudinem, seu non repugnantiam ad existendum; unde Doctores solent communiter duplicem ponere possibilitatem, aliam remotam, proximam aliam; proxima appellatur ab eis denominatio quædam extrinseca proveniens ab omnipotentia Dei, & cadens supra remotam, quam non habet à se creaturæ: sed formaliter accipit à virtute effectiva Dei, & de hac non controversatur apud Doctores in quo consistat; unde tota quæstio eo tendit ut explicetur quid sit possibilitas remota, supra quam cadit proxima, & hæc remota non potest esse denominatio pure extrinseca: sed potius intrinseca, quam aptitudinem ad existendum intrinsecam vocat Pater Hurtado, his verbis in metaphysica, disput. 8. sect. 1. num. 13. in medio: [ita homo habet intrinsecam aptitudinem ad existendum ab aliò, in qua connotatur potentia Dei, & hæc habet potentiam producendi aliud, à qua terminus denominatur extrinsece possibilis, à se autem dicitur intrinsece aptus ad existendum per quam intrinsecam aptitudinem terminat extrinsecam possibilitatem.] sic idem, ubi clare distinguit duplicem possibilitatem, aliam intrinsecam, & à se; aliam extrinsecam ab omnipotentia; quare immerito ab aliquibus asseritur Patrem Hurtado solum posuisse omnem possibilitatem in denominatione extrinseca ab omnipotentia, cuius falsitatis fundamentum fuit conclusio prima huius auctoris §. 3. posita his verbis. [Dico primo,] denominationis possibilis sumitur formaliter ab omnipotentia Dei, in qua conclusione, licet obscure loquatur, & videatur totam possibilitatem refundere in omnipotentiam Dei, nihilominus tamen ibi solum loquitur de possibilitate proxima, ut patet ex verbis nuper adductis ex §. 3. seu n. 13. ubi se clare explicat hic Auctor.

34 Probatum nostra conclusio primo, quia omnis forma tribuens denominationem subiecto, & constituens ipsum in esse talis petit ex parte subiecti capacitatem seu aptitudinem ad talem denominationem, & constitutionem: sed creaturæ per vos denominantur possibiles ab omnipotentia Dei, tanquam à forma extrinseca: ergo creaturæ ex se habent capacitatem, & aptitudinem, ut denominentur possibiles ab omnipotentia: atqui hæc capacitas nihil est aliud, quam aptitudo seu non repugnantia ad existendum: ergo hæc aptitudo præsupponitur ex parte creaturæ ad ipsam denominationem, quam recipit ab omnipotentia; hæc autem aptitudo, seu non repugnantia ad existendum est quam appellant auctores.

R. P. Ildph. de Peñañiel, Theol. Schol. Tom. I.

Doctores possibilitatem remotam, quia illa ordinatur ad proximam possibilitatem, & est per quam res definitur in esse possibilis, nam quando interrogamus, quid sit possibile, dicimus quod est aptum, vel quod non repugnat existere, & per hanc rationem ultimo distinguitur res possibilis ab impossibili, & est prima radix existentie passive sumpta, quare hæc aptitudo præcipua possibilitas est, non autem quam vocant proximam, ut videre est in materia prima, quæ licet extrinsece denominetur in vestra sententia extrinsece informabilis à forma, nihilominus ipsa materia prima præsupponit capacitatem, seu aptitudinem intrinsecam ut possit recipere formam, & ratione huius est capax denominationis extrinsece à forma, & ab informatione possibilis, à qua informabilis dicitur extrinsece, quæ denominatio extrinseca nihil habetur à Doctoribus; neque de illa controversatur: sed solum tota controversia dirigitur ad explicandam primam aptitudinem intrinsecam materiæ, quæ est fundamentum denominationis extrinsece, & si ipsa deficeret, sine dubio corrueret denominatio extrinseca à forma, & esset impossibilis informatio talis materiæ, imò & forma ipsa, quatenus actus, seu perfectio materiæ; unde in sententia eorum, qui dicunt materiam sublunarem, & cælestem distingui specie, ac proinde materiam cælestem nullo modo posse denominari extrinsece informabilem à forma equi, & informatione possibili illius, esse tamen informabilem à forma cælesti, sicut è contra materiam sublunaris est capax denominationis extrinsece (informabilis videlicet à forma equi, & non à forma cælesti, cuius rationem, & causam discriminis, si quaeramus à priori radicaliter seu fundamentaliter, sine dubio hanc tribuent omnes, videlicet quod materia sublunaris ex se, & ab intrinseco habet aptitudinem ad hoc ut recipiat formam equi, quam non habet materia cælestis: sed potius habet repugnantiam ad recipiendum formam equi: ergo hæc aptitudo in materia sublunari intrinseca præsupponitur ex parte materiæ sublunaris, ut denominetur informabilis extrinsece à forma qua deficiente in materia cælesti, non est capax illa talis denominationis; itaque omnis denominatio extrinseca in subiecto præsupponit aptitudinem, & capacitatem intrinsecam in illo, ut recipiat talem denominationem.

Sed creatura denominatur possibilis extrinsece ab omnipotentia non solum in tempore: sed ab æterno: ergo ex parte sua datur capacitas seu aptitudo intrinseca ad talem denominationem, & hanc vocamus possibilitatem remotam, seu intrinsecam, & de hac interrogamus in quo consistat formalissime.

Vergetur, ac declaratur evidenter, quia ideo chimæra non est denominabilis extrinsece in esse possibilis ab omnipotentia, quia non habet aptitudinem, & capacitatem ex se ad talem denominationem possibilis, & quia habet ex se repugnantiam intrinsecam ad existendum: sed contrariorum eadem est disciplina, & ratio opposito modo, & creatura possibilis est contraria chimære, seu impossibili, possibile enim, & impossibile eo modo opponuntur contraria metaphysice sicut animatum & inanimatum, corporum & incorporeum, rationale, & irrationale; ergo creatura ideo denominatur possibilis ab omnipotentia,

Ppp tentia,

mutabiliter denominatur possibilis: ergo omnipotentia non est causa extrinseca libera denominandi: sed necessaria sine vilo discrimine ex parte sua denominans quidquid est capax possibilitatis; quia omnipotentia in sua formali ratione per quâ denominat est omnino invariabilis, & immutabilis; ac proinde semper eadem, ac eodem modo se habens; ideoque ex se eodem modo denominans; quia idem in quantum idem, semper est natum facere idem: Jergo si aliqua differentia datur, & aliquod discrimen reperitur in denominatione passiva, ita ut vnum subiectum denominetur possibile, ut omnis creatura; & aliud non denominetur possibile ut chimera, non provenit tale discrimen ex parte omnipotentia: sed potius ex parte subiectorum, quia nimirum vnum ex se ab intrinseco est capax, & non repugnat denominari propter aptitudinem quam habet ab intrinseco, & non repugnantiam ad existendum, & alterum subiectum ex se repugnat denominari, & habet incapacitatem ab intrinseco ad talem denominationem ratione intrinsece repugnantia ad existendum, quam habet, quapropter omnipotentia divina supponit ex parte subiectorum talem capacitatem, & incapacitatem ab intrinseco convenientes ipsis, & sic supponit radicem in illis discriminis ad denominandum, & non denominandum ipsam si per illa quæ non denominantur possibilia non staret aut ex parte illius non daretur incapacitas intrinseca, & repugnantia intrinseca ad talem denominationem, non supponeretur sine dubio omnipotentia quantum est ex se, ratione suæ necessitatis, & quia infinita est in ratione potentia, & ideo omnipotentia dicitur omnia denominare possibilia; nam eadem potentia est, quæ potest producere ea quæ possibilia sunt, ac quæ denominat, & constituit possibilia: sed omnia, quæ ex se non repugnant existere potest producere, & eis potest tribuere existentiam, quia infinita est.

Vnde si interrogamus, quare Deus possit producere hominem, & non possit producere chimera hunc defectum non refundimus in omnipotentiam, sed potius in incapacitatem, & repugnantiam, quam habet chimera ex parte sua, quamque si non haberet, sine dubio consequetur posse produci à Deo, seu beneficium possibilitatis, in quo maxime differt omnipotentia à potentia creaturæ ratione illius infinitatis, & finitudinis istius, nam hæc quia finita, & limitata est ab intrinseco, etiam si ex se sit aliquid possibile non potest producere ipsum; è contra vero omnipotentia quidquid est producibile potest producere, alias si aliquid non repugnet ex se, & illud non posset facere omnipotentia, sine dubio omnipotentia esset finita, & limitata ut est creatura: ergo si est infinita, & illimitata, ita est disposita ut quantum est ex se omnia, quæ non repugnant possit producere sine vilo discrimine: ergo eadem omnipotentia sine vilo discrimine potest denominare quidquid non repugnat; vnde si datur discrimen, & differentia in denominando, & non denominando obiecta in esse possibile, hoc non est ex parte omnipotentia; sed ex parte illorum, videlicet, quia vnum est aptum ex se ab intrinseco, & non repugnat intrinsece denominari, quia ex se non repugnat intrinsece existere, & habet aptitudinem intrinsecam, & ab intrinseco, & non aliunde emendicam ad existendum, & aliud habet repugnantiam, & incapacitatem ad existendum, sed talis capacitas, & non repug-

nantia ad existendum est possibilitas fundamentalis præcipua, & radicalis, de qua est quæstio, supra quam cadit alia possibilitas extrinseca, sicut è contra illa incapacitas ab intrinseco, & repugnantia intrinseca ad existendum est impossibilitas in chimera: ergo falso asserunt adversarij dicentes omnem possibilitatem esse denominationem extrinsecam, cum ex demonstratione facta pateat præcipuam, fundamentalem, & radicalem possibilitatem esse à se intrinsecam, sicut impossibilitas in chimera est à se intrinseca; vnde possibilitas prima, & præcipua non provenit formaliter ab omnipotentia Dei, sed à se ipsa, alioquin ut iam probavi, nulla esset ratio, ut potentia infinita Dei potius denominaret Angelum, quam hircoservum possibilem, si in illis non assignaretur differentia intrinseca, ratione cuius vna posset subesse tali denominationi, sicut in simili diximus amabilitatem primam, & radicalem, & fundamentalem ac præcipuam veritatem obiecti non posse desumi formaliter illam ab ipso amore possibili, & à voluntate, hanc ab intellectu; & à cognitione possibili; sed ab intrinseca perfectione, & bonitate, ratione cuius hoc obiectum potest amari, non vero illud carens tali bonitate: ergo similiter in nostro casu primo; & præcipue seu fundamentaliter res possibilis non est ab omnipotentia formaliter, sed à se ipsa, non enim dicimus ideo res est possibilis, quia potest à Deo fieri, sed ideo à Deo potest fieri, quia in se ipsa non repugnat, quod in sententia adversariorum, quos impugno est certius, & evidentius, ipsi enim docent omnipotentiam Dei esse omnino absolutam ab omni connexionem, & relationem transcendentali ad possibilitatem creaturæ; ideoque si creaturæ in se non repugnent Deum eundem mansurum, etiam si non possit producere ipsas, quia hoc non provenit ex defectu omnipotentia, sed potius ex repugnantia illarum; quod vero repugnent, vel non repugnent, hoc non habent à Dei omnipotentia, sed à se ipsis, hæc illi: vnde ergo hæc non repugnantia, seu fundamentalis primaria ac præcipua possibilitas, ratione cuius omnipotentia potest extendi ad creaturas non desumitur ex ipsa omnipotentia: sed est quid ipsam obiective antecedens, vel minimum concomitans.

Tertio principaliter sic arguuntur contra adversarios ex ipso principio, nam ut ipsi asserunt, possibilitas nihil aliud est, quam aptitudo ad existendum, quam convertunt cum ipso ente; vnde sicut ens præscinditur à Deo, & à creatura, ab omnipotentia, & ab effectibus illius, ita etiam præscinditur ab illis aptitudo ad existendum, sed ens ut sic, quia præscinditur ab omnipotentia, & à creaturis est prius ac superius illis, ac proinde non potest constitui ab omnipotentia aut à creaturis, quia superius non constituitur ab inferiori, nec prius dependet à posteriori, sicut animal non constituitur ab homine licet è contra, inferius constituitur à superiori: ergo non aptitudo ad existendum ut sic, quæ est idem, quod ens ut sic, ac per consequens præcipua, & superior respectu omnipotentia, & creaturarum potest constitui in suo esse ab omnipotentia, aut à creaturis: sed aptitudo ad existendum est possibilitas per vos, quæ convenit æqualiter Deo, & creaturis: ergo possibilitas non constituitur ab omnipotentia, sed potius à se ipsa est.

Declaro amplius hoc, nam in conceptu entis 40
P p p a scilicet

scilicet quod potest existere concipio aequaliter Deum, & creaturas, & tunc concipio logicam possibilitatem ad existendum, hanc autem non possum explicare per ordinem ad omnipotentiam Dei, quia abstractio tunc ab hoc, & Deus qui etiam ibi comprehenditur non est producibilis à se; ergo in eo primo conceptu de possibilitate non concipitur omnipotentia Dei: ergo neque possibilitas prima, & fundamentalis, in qua consistit illa ratio entis communis omni enti explicatur per ordinem ad omnipotentiam Dei, sed in se ipsa concipitur, & inde postea nos deducimus an Deus possit talem rem producere, & tunc ab omnipotentia Dei accipit ea res denominationem aliam proxime possibilis, quæ præsupponit primariam possibilitatem, quæ ideo talis dicitur, quia non repugnat existere, aut quia illa res non includens duo prædicata contradictoria in suo conceptu possit absolute poni extra causas, & quæ adhuc licet sit in creatura nullo modo potest formaliter & essentialiter constitui ab omnipotentia, nam si ab illa constitueretur essentialiter non posset præscindi ab ipsa omnipotentia, nec posset intelligi sine illa, quia effectus formalis non potest præscindi à forma, quia forma est essentia illius, & res non potest præscindi à sua essentia neque intelligi sine illa, quia definitio essentiae est, sine qua neque esse, neque intelligi potest res: atqui possibilitas creaturæ, vel quæ est in creatura contracta præscinditur ab omnipotentia, quia præscinditur ab illa, & à creaturis per vos possibilitas, ut sic, qui postea contrahitur ad omnipotentiam, & ad creaturam: ergo sicut ratio possibilitatis, quæ est in Deo non est per ordinem ad omnipotentiam, ita ut ab ipsa formaliter constituitur, ita similiter possibilitas, quæ est in creatura non constituitur ab omnipotentia, alias non præscinderetur possibilitas à Deo, & à creatura, quæ de se non constituitur ab omnipotentia formaliter, ut patet ex ratione nuper posita.

41 Dices creaturas possibiles, dicere essentialem ordinem ad Deum: ergo non possunt intelligi ut possibiles sine omnipotentia.

42 Sed contra etiam si res possibiles dicant ordinem ad omnipotentiam Dei, ut contendit obiectio, ideoque qui intuitive, & adæquate eas cognosceret, necessario simul deberet cognoscere omnipotentiam Dei: unde etiam rursus sequitur, in re non esse priorem possibilitatem ullam quam omnipotentiam Dei, sicut nec è contrario omnipotentia est prior quam possibilitas creaturæ: at vero in ordine ad inadæquatos nostros conceptus possumus concipere rem aliquam non dicere in se duo contradictoria, aut dicere non repugnantiam seu aptitudinem logicam ad existendum, priusquam quidquam cogitemus de omnipotentia Dei; imò & præscindendo ab eo quod illa res sit producibilis, vel existat à se ipsa, cuius rationem in hunc modum conficio;

43 Argumentando ultimo principaliter: nam omnipotentia in sua definitione, saltem in obliquo petit necessario possibilitatem seu non repugnantiam ad existendum, unde nullo modo potest definiti omnipotentia, nisi ponatur non repugnantia creaturarum, ut liquet evidenter ex hac definitione omnipotentiae, quam ipsi adversarii tradunt & concedunt, [omnipotentia est quæ potest producere quicquid non repugnat existere, aut quicquid non implicat contradictionem.] Ecce quomodo ponitur in definitione omnipo-

tentiae necessario non repugnantia creaturarum, seu possibilitas earum, ut patet ex illis verbis, quicquid non repugnat existere: ergo nullo modo absolvitur omnipotentia à connexionione fundamentalis possibilitatis, seu cum illa vel à cognitione illius, fundamentalis autem possibilitas non dependet in sua præcisa, & metaphysica definitione ab omnipotentia Dei; quare si interrogas quid sit possibilitas, non dico quæ est ab omnipotentia seu quæ potest fieri ab illa: sed potius dico; est capacitas logica ad existendum: ergo possibilitas intentionaliter, & obiective est prior omnipotentia, & ratio est manifesta, quia omne obiectum est prius in ea ratione qua obiectum non terminativum est potentia, cuius est obiectum, & ratio est, quia potentia in sui cognitione dependet ab obiecto, obiectum autem in sui cognitione est independentes ab illa; unde verificatur hæc causalitas; ideo potentia potest, quia obiectum est possibile; unde si interrogas cur Deus potest amare hoc obiectum, respondebis, quia ex se est bonum, & ideo non potest amare peccatum formaliter, quia ex se est malum; & contra vero non bene valet cur obiectum est bonum, quia potest amari à Deo: ergo omne obiectum se habet quasi causa respectu potentiae; patet manifeste, quia quando ex vno ad alterum verificatur propositio causalitas, vnum se habet quasi effectum, & alterum quasi causa: sed omnis causa, vel quasi causa est prior suo effectu: ergo omne obiectum in sua prima ratione propter quam verificatur causalitas à potentia ad ipsum, & in qua non dependet à potentia, nec terminat actionem illius, & si est productiva talis potentia non producit ab illa, est prius tali potentia: sed quod est prius non constituitur à posteriori formaliter: ergo obiectum omnipotentiae, quatenus est non repugnans existere, quia in illa ratione non producit ab omnipotentia; sed se habet tantum quasi obiectum motivum, & ratione talis non repugnantiae verificatur hæc causalitas, ideo omnipotentia potest producere creaturam; & non chimeram, quia creatura ex se ab intrinseco est non repugnans existere, seu est capax existentiae quod non habet chimera; unde si creatura repugnaret sicut chimera, non daretur omnipotentia in Deo ad illam, sicut non datur ad chimeram, alias posset Deus producere, quia omnipotentia, & posse producere sunt idem; sed non potest producere obiectum repugnans: ergo non datur omnipotentia, nec daretur ad id quod repugnat: ergo non repugnans, secundum quod est non repugnans in obiecto omnipotentiae, non constituitur ab omnipotentia formaliter, & essentialiter, quia quod est prius non dependet à posteriori; sed non repugnans existere est fundamentale possibile, & capacitas logica existentiae quæ explicatur per non repugnantiam, quæ secundario illi convenit, ut patet ex dicendis, est fundamentalis, & præcipua possibilitas: ergo possibilitas præcipua non constituitur ab omnipotentia: sed potius est à se intrinseca, & ab intrinseco, prior ipsa omnipotentia intentionaliter & obiective, & ideo ut sic præcise immediate potest concipi sine omnipotentia, licet omnipotentia non possit concipi sine illa, quod docere voluit Aristoteles prædicamento de relatione, agens de tertio genere relationis mensurabilis, videlicet ad mensuram, quod genus dixit esse relationis non mutuae, quia mensurabile refertur ad mensuram,

mensuram, mensura autem non refertur ad mensurabile, & inter has relationes ponit relationem potentia ad obiectum, quia potentia quasi mensuratur ab obiecto, & ideo aliquomodo dicitur dependere ab ipso, saltem in sui cognitione; obiectum autem non dependet à potentia in ea ratione, quia est mensura, vel quasi mensura potentia, quia in illa ratione præcedit obiective ipsam, unde absolute vocat Aristoteles obiectum prius potentia: ergo similiter obiectum omnipotentia licet in ratione possibilitatis extrinsecæ proveniente ab omnipotentia non sit prius ipsa: sed potius posterius, nihilominus tamen secundum intrinsecam, & fundamentalem possibilitatem obiective, & intentionaliter est prius omnipotentia; color, v. g. in ratione visibilis extrinsecæ non est prior quam potentia visiva; at vero in esse coloris, & secundum capacitatem intrinsecam, seu non repugnantiam supra quam cadit visibilitas extrinsecæ est prior potentia visiva: ergo idem erit in ente factibili comparato omnipotentia Dei.

44 Respondet Pater Hurtado his verbis [nego consequentiam, quia discrimen est præsto, obiectum potentia intentionalis est in suo esse independentens ab ea potentia, ut præcise est intentionalis, imo potentia est ab eo pendens, color enim non pendet à visu ut illum terminat, hic autem pendet à colore, à quo speciem sumit, estque propterea color prior visu, quia dependentia fundat prioritatem; at entitas, quæ est terminus potentia physica, pendet ab eadem potentia essentialiter, ac consequenter illam connotat in sua entitate, quia illa entitas pendet à denominatione, quam dat potentia, ut esse informativam est de essentia formæ à qua materia dicitur informabilis per extrinsecam denominationem, quam connotat materia in suo conceptu quidditativo, qui est esse receptivam formæ; ita homo habet intrinsecam aptitudinem ad existendum ab alio, in qua connotatur potentia Dei, & hæc habet potentiam producendi aliud, à qua terminus denominatur extrinsecæ possibilis, à se autem dicitur intrinsecæ aptus ad existendum per quam intrinsecam aptitudinem terminat extrinsecam possibilitatem, & illa non fundat prioritatem, sed simul denominatur possibilis, & ut talis concipitur si recte concipitur.

45 Sed contra hanc solutionem sic insurgo, ideo color per se præcedit potentiam visivam in esse coloris, quia in esse coloris non dependet, neque producit à potentia visiva, & potentia visiva dependet à colore, sed in obiecto possibili, licet detur dependentia ab omnipotentia in secunda, & extrinsecæ possibilitate, nihilominus obiectum non pendet à potentia, in prima, & fundamentali capacitate logica ad existendum, quæ prima possibilitas dicitur, quia neque producit illa ab omnipotentia, ac proinde in genere causæ efficientis non dependet, neque dependet in genere causæ formalis, quia non constituitur ab ipsa extrinsecæ ut secunda possibilitas, neque in genere causæ materialis, ut de se patet, neque in ratione finis, quia potius obiectum est quasi finis potentia, cum sit terminus connexionis, vel relationis illius, quam è contra, quia nullo modo est potentia finis obiecti, &c. ergo nullo modo dependet prima, & radicalis possibilitas obiecti ab omnipotentia; unde si connotat illam, non est ratione sui ut ipsa fiat ab omnipotentia, sed ratione

existentia quam habet pro termino, quia existentia dependet necessario ab omnipotentia; neque quæcumque connotatio arguit posterioritatem in connotante respectu connotati, nam essentia connotat passionem, substantia accidens, omnipotentia existentiam quam producit, & nihilominus essentia non est posterior passioni; cum hæc non sit causa illius, neque omnipotentia est posterior existentia; quia nullo modo existentia est causa omnipotentia, nam huiusmodi connotatio est ad quid posterius: sed omnipotentia nullo modo est causa fundamentaris ac primæ possibilitatis, & ideo possibilitas illa non dicit relationem ad omnipotentiam, sed solum explicatur per non repugnantiam: ergo licet connotet omnipotentiam ratione existentia, non connotabit illam ut quid prius se, sed potius ut quid posterius ipsa, ut patet ex ratione ultima pro nobis adducta: ergo sicut color, quia in sua entitate intrinsecæ est independentens à potentia visiva, & in illa ratione est obiectum potentia visivæ, sine quo, nec esse nec intelligi potest potentia visiva, in illa ratione est prior color ipsa potentia visiva; ita similiter obiectum possibile fundamentale secundum aptitudinem intrinsecam logicam, seu non repugnantiam intrinsecam ad existendum, erit prius ipsa omnipotentia obiective, & intentionaliter, quia in illa ratione est obiectum primarium omnipotentia, omnino independentens ab illa, sine quo neque intelligi, neque esse potest omnipotentia, quia à priori connectitur cum illo: ergo nullum est discrimen quod Pater Hurtado adducit inter colorem, & possibile, neque bene salvat circulum vitiosum n. 4. à se adductum exemplo materia primæ, & formæ, quia maximum discrimen datur inter materiam, & formam ex vna parte, & inter potentiam, & obiectum ex alia, nam circulus inter materiam, & formam (casu negato quod detur) non est vitiosus, quia materia prima essentialiter, & primario dicit relationem ad formam, quia dicit potentiam, & aptitudinem physicam ad recipiendam formam, sicut forma etiam dicit relationem ad materiam, quia dicit aptitudinem physicam, & potentiam ad informandam materiam; unde, non mirum, vna definiatur per ordinem ad aliam sine ullo vitio; atque licet potentia ordinetur ad obiectum primario, nihilominus obiectum nullo modo ordinatur ad potentiam, cuius manifestum argumentum est quod supra adduximus ex Arist. nimirum quod relatio potentia ad obiectum est mensurabilis ad mensuram, & sic non est mutua; unde licet omnipotentia sit vera omnipotentia ad obiectum, nihilominus obiectum non habet potentiam physicam ad omnipotentiam, sed solum quandam capacitatem logicam, seu non repugnantiam, quæ indicat obiectum esse omnino absolutum à potentia, quapropter si potentia definiatur per obiectum, & obiectio per potentiam, erit circulus sine dubio vitiosus.

SECTIO III.

Conclusio ponitur.

Possibilitas non est purum nihil in toto rigore. Patet primo, quia quod est purum nihil est negatio totius latitudinis entis, & nullam connexionem dicens cum ente, ac proinde contradictorium omnis entis: sed existentia est aliquod

ens: ergo purum nihil est negatio existentiae, & repugnantia illius: ergo possibilitas non est purum nihil. Patet consequentia, quia possibilitas non est repugnantia existentiae contradictorie, ut late supra probavimus. Antecedens primum patet manifeste ex ipso nomine puri ac simpliciter nihili, quod significat purum simpliciter, & absolute non esse, ac proinde contradictorium totius esse, nam sicut nihil hominis est negatio illius, ita nihil absolute negatio totius esse, &c.

47 Secundo probatur, quia purum nihil est quod nullam habet connexionem cum ente reali positivo, & non potest illo modo coniungi, cum illo, & ideo vocatur purum nihil, quia nec connotative, nec intrinsece, & formaliter dicitur positivum; sed possibilitas habet necessariam connexionem, vel connotat necessario positivum existentiae tanquam actum perfectivum ipsius, & etiam connectitur necessario cum omnipotentia Dei: ergo non est purum nihil.

48 Item purum nihil non est obiectum nec ratio formalis obiectiva omnipotentiae, ut tribuat esse creaturae Deo: sed possibilitas est ratio formalis obiectiva, ratione cuius tribuit Deus creaturae suam esse actualem: ergo possibilitas non est purum nihil; maior patet ex dictis, quia purum nihil non potest coniungi cum ente reali, nec potest esse ens reale, quia maxime repugnat, & opponitur cum ente reali; sed obiectum omnipotentiae est, vel quod potest coniungi cum omnipotentia, & cum existentia vel ipsa existentia: ergo purum nihil non est obiectum omnipotentiae.

49 Ultimo sic probatur, si possibile esset purum nihil, non posset esse obiectum propositionis affirmativae vere, & proprie; sed est obiectum illius: ergo maior patet, nam propositio formalis, si vera esse debet obiectivi debet correspondere: ergo si haec nihil habet affirmationis, sed pura negatio est affirmativa formalis, de illa esse non potest. Minor constat nam de possibili multae verae propositiones affirmativae quae nullo modo negativae equivalent, sunt.

50 Nec obstat etiam fieri de puro nihilo similes, ut cum dicimus, nihil est negatio, nihil est destructivum positivum.

51 Non enim hoc obstat dicere, quia omnes istae, & similes equivalent negativis, nam dicere nihil est negatio, est dicere nihil non est aliquid, seu non est dicere nihil est destructivum positivum est dicere nihil est non positivum, seu negatio rei positivae, & sic de ceteris.

SECTIO ULTIMA.

Vbi nostra praecipua ac principalis conclusio ponitur, & probatur.

52 **V**ltima conclusio, possibilitas creaturae, ut talis est negatio positivae aptitudinis ad existendum, cum connotatione ad existentiam, quae non repugnantia ad illam dicitur; ita ut terminus primarius negatus per negationem est aptitudo positiva ad existendum ut est possibilitas divina, de qua latius agemus in tractatu de Deo: secundarius autem terminus negatus per possibilitatem est repugnantia ad existendum, v.g. caecitas negat immediate, ac primario positivam entitatem, id est visum, secundario autem negat aliam negationem scilicet tenebras, quia verum est dicere, caecitas

non sunt tenebrae seu privatio lucis: explicatur breviter haec conclusio, possibilitas negat se esse positivam aptitudinem in ordine ad existentiam, ut ex positiva aptitudo materiae ad formam, intellectus ad intelligendum, omnipotentia ad operandum, quae aptitudines intrinsece positivae sunt, & per positiva praedicata constituuntur; possibilitas autem negat illa praedicata positiva a sua constitutione, & ut melius loquar, negat se esse similem possibilitati divinae, quae positiva est, dicitque non repugnantiam ad existendum, sicut unitas divina in essentia negat se esse plures, seu esse acervum plurium entitatum, sic similiter negat possibilitas creata in se rationem entis positivi, & ideo vocatur aptitudo negativa, seu logica, a differentia illarum, quae physice aptitudines, seu potentiae vocantur, quia positivae sunt, quod non habet possibilitas ex eo quod sit negatio formaliter, sed non est ita negatio positivum, ut sit in pura negatione, quia connectitur necessario cum omnipotentia Dei, connotando ipsam existentiam quae est terminus omnipotentiae, & actionis illius ut ratio formalis sub qua utriusque omnipotentiae videlicet & existentiae illius, ut productivae, id est sub qua potest producere huius ut producendae, ratione cuius capax est, ut producat ab omnipotentia, respectu cuius existentiae nimirum dicit coniungibilitatem, ut ex ipsa possibilitate, & existentia constituitur absolute res creata, v.g. paries constituitur in esse visibilis per visibilitatem, id est in esse capax ut videatur a potentia visiva, ita ut ipsa visibilitas, sit ratio formalis sub qua paries videatur a potentia visiva, & ut potentia visiva videat illum: haec conclusio sic explicata, probatur.

Primo quoad primam partem, quia possibilitas non est positivum, ut probavimus latissime conclusione secunda, sed est negatio, & non negatio existentiae primario, & per se ut ex prima conclusione constat, nec est negatio repugnantiae primario adaequatae, & totaliter, ut tertia conclusione confirmavimus. Item non est negatio totius latitudinis entis, ita ut sit purum nihil, tandem non est negatio possibilitatis, quia idem non potest esse negatio sui ipsius; alias idem esset, & non esset simul, quod est impossibile: ergo si est negatio alicuius positivi debet esse negatio, quia immediate, & primario, ut probavimus non negat alteram negationem: atqui non negat positivum ut sic, tum quia iam negaret omne positivum contentum sub positivo ut sic, quia quod repugnat superiori, repugnat omni contento sub illo; unde negaret totam latitudinem entis realis, ut positivum, & sic esset purum, & absolute nihil, ut probavimus falsum esse conclusionem quartam; tum etiam, quia negatio in particulari, & determinata aliquod positivum particulare debet negare primario, & non est aliud in particulari, ut discursivo, & non est aliud in particulari, ut discursivo, per omnia patebit: sed positivum aptitudinis dicitur propter rationem supra positam: ergo primario negat aptitudinem positivam, in ordine ad existentiam, id est se esse aptitudinem positivam ad existendum.

Confirmatur, interroganti an possibilitas, quae aptitudo logica est sit aptitudo positiva. Respondendum non esse positivam: ergo negativam aptitudinem: ergo negationem aptitudinis positivae ad existendum; nam haec vocatur aptitudo negativa, sicut negatio entis realis solet appellari ens negativum reale, id est non ens positivum, sed

sed negatio entis positivi à parte rei: sed hæc aptitudo logica vocatur aptitudo negativa: ergo est negatio positiva aptitudinis ad existendum. Hæc minor sic explicatur, quia duplex datur aptitudo, una positiva quæ vocatur potentia siue pure activa, vt omnipotentia Dei, siue pure passiva vt potentia materiæ primæ ad recipiendam formam, siue mixta ex passiva, & activa, vt potentia intellectus, quæ activa est, quia producit intellectionem, & passiva etiam, quia recipit illam, quæ omnes physice vocantur, quia positivæ sunt, & propriæ potentie, siue formaliter, siue eminenter ordinate primario ad sua objecta, potentia autem logica negat, & removet à suo esse positivam aptitudinem ad existendum. Explicatur hoc exemplo veritatis, & intelligibilitatis, & omnium rationum formalium potentiarum ex parte objecti, quæ in suo esse per negationes constituuntur in sententia communi, vt allerunt Connimbricenses nostri *tom. 1. Logica, in præfatione Porphyrij, q. 3. art. 2. 8. tamen communis, in fine*, his verbis, & quod maius est objecta potentiarum, vt visibile, & intelligibile, &c. non per modos positivos: sed per negationes constituuntur vt est non modo ad veriorum, sed omnium communis sententia; quid clarius, quæ negatio est negatio aptitudinis, & potentie positivæ vt intelligatur, & videatur objectum, &c. & ideo nullum objectum dicit relationem ad scientiam, & ad potentiam vt supra *quæst. 1. de veritate, ex D. Thoma, & ex Aristotele latissime* probatur manet; sed possibilitas est ratio formalis potentie Dei productivæ ad extra; ergo est potentia logica, & sic est negatio primarie positivæ, & physice aptitudinis, & secundario est negatio repugnantie, &c.

ff Dices non posse esse aptitudinem logicam vltimo modo possibilitatem ex eo solum quod negatio positivæ aptitudinis sit sicut negatio potentie materiæ primæ, ex eo præcise quod negatio illius est, non est aptitudo logica.

Sed contra, quia verum est, quod pura & sola negatio aptitudinis sistendo in pura negatione illius, & ex vi illius negationis præcise non sit aptitudo logica ad existendum, est autem aptitudo logica illa possibilitas, quia non solum est negatio positivæ aptitudinis ad existendum: sed quia simul elicit connotationem ad existentiam tanquam ad terminum cum quo debet coniungi vt constituat rem absolutè, coniungitur autem cum ea tanquam ratio formalis sub qua accipit creatura suum esse, & etiam, quia connectitur necessario cum omnipotentia Dei, tanquam ratio etiam sub qua formalis illius; itaque hæc negatio vocatur capacitas passiva, ratione cuius existit creatura existentiaque ipsius accipit esse ab omnipotentia Dei, quare ex hac tanquam à ratione formali sub qua, & ab entitate creaturæ constituitur, quod conflatum ex ratione materiali terminativa, vt est ipsa existentia, & ex ratione formali terminandi actionem omnipotentie, & ideo vocatur possibilitas, seu aptitudo logica ad existendum, vt amabilitas vocatur ratio formalis amandi, & aptitudo logica, vt ametur objectum; veritas autem vocatur intelligibilitas, loquor enim de veritate transcendentali ex parte objecti, & aptitudo logica, vt intelligatur ipsum, quia sunt rationes formales, sub quibus potentia amativa, & intellectiva terminantur, ad objecta, ita necessario vt sine illis non pos-

sint terminari potentie ad illa; unde licet amabilitas, & intelligibilitas primario dicant negationem aptitudinis physice seu positivæ, cum tamen non solum sit, ita pura negatio illius: sed etiam dicat connexionem ad intellectionem, & ad objectum, quod potest intelligi, & etiam dicat connexionem, cum potentia intellectiva, vt ratio formalis, sub qua tendit illa in aliud obiectum, ideo vocatur aptitudo logica, & negativa vt intellectus intelligat obiectum, & obiectum intelligatur ab ipso, & hoc dicimus esse intelligibilitatem, sic similiter negatio illa aptitudinis positivæ ad existendum ex hoc præcise non diceretur aptitudo logica: sed quia præter hoc dicit etiam connotationem ad existendum tanquam ratio formalis cum suo termino existentia nimirum, à qua constituitur ipsa existentia, vt capax produci, hoc est possibilis vt producatur, & connectitur necessario cum omnipotentia Dei, tanquam ratio formalis, sub qua illius, ideo possibilitas dicitur aptitudo logica creaturæ vt existat, & non pura negatio.

Vrgetur, quia in conceptu suo primario possibilitas, aut est positiva actualis aptitudo primario, & essentialiter, aut primario, & intrinsecè non est talis, aut denique neque est vnum, nec alterum: sed aliquid distinctum ab utraque: sed non est aliquid distinctum vt ratione prima probatum manet à partium distributione, & etiā, quia inter positivam aptitudinem, & non positivam; sed negativam non est dare medium, quia opponuntur contradictoriè vt de se patet: ergo vel est primum vel secundum primario; si hoc secundum erit in quo primario conceptu obiectivo non aptitudo positiva ad existendum: ergo est negatio aptitudinis positivæ ad existendum primario, & per se, quia esse in primario conceptu suo non aptitudo ad existendum, est esse negationem illius aptitudinis primario, sicut, v. g. quia purum nihil in suo conceptu primario est non positivum, est negatio primario in suo conceptu intrinsecò positivæ entitatis secundum totam suam latitudinem, & quia repugnat ad existendum, seu impossibile est in suo conceptu primario non existentia positivæ; ideo est in suo formalissimo, & primario conceptu negatio existentie: sed possibile in suo primario conceptu est non actualis positivæ aptitudo ad existendum; ergo est negatio actualis aptitudinis ad illam: ergo constituitur per negationem positivæ aptitudinis, quia per illud constituitur res, quod in suo formalissimo conceptu dicit: sed in suo formalissimo conceptu dicit negationem talis aptitudinis positivæ: ergo per negationem illius constituitur, ita vt illud contradictorium aptitudo nimirum positivæ ad existendum sit impossibilis illi, quia negatio illius necessaria, & indefectibilis est, vt supra explicavimus agentes de unitate transcendentali.

Si primum illud dicatur: ergo ab æterno, & 37 à se est aliquid actuale positivum independens à Deo, & distinctum ab illo; unde alius Deus distinctus ab eo, & consequenter omnia inconvenientia contra Basil. Ponze conclusionem secunda eruta.

Dices possibilitatem, nec esse positivam aptitudinem ad existendum essentialiter, & primario, nec essentialiter, & primario negationem aptitudinis positivæ ad existendum, sed ab illa præferre essentialiter, v. g. homo essentialiter non est albus

albus ex quo non debet colligi: ergo essentialiter includit negationem albedinis, alias nec accidentaliter esset albus, solum enim est homo animal rationale essentialiter, cui accidit tam ipsa albedo, quam carentia albedinis.

⁵⁹ Sed contra primo, quia conceptus primarius possibilitatis, vel est positiva ratio, ita ut participet rationem positivam ut sic, vel non est positiva: sed negatio, ita ut participet negationem ut sic quæ est alter terminus contradictorius positivi, ut sic à quibus nullo modo potest præscindere essentia possibilitatis, quia sunt termini universalissimi transcendentes omnes rationes essentialiter particulares, & quia sunt transcendentes sunt universalissimæ rationes, sub cuius potestate omne quod quomocunque est, necessario debet includi, ita ut unus, vel alterius contradictorius ratio necessario participet propter amplitudinem, & universalitatem eorum, in quo fundatur veritas illius evidentissimi, omniumque certissimi principij, & axiomatis necessario, quodlibet est, vel non est, ita ut non possit præscindi ab utroque exemplum est manifestum in ipso homine, de quo essentialiter verificandum est aliquod ex illis contradictorijs universalissimis positivum scilicet, & negatio ut sic; nam si homo non est negatio essentialiter: ergo essentialiter est positivum, & contra si per impossibile non esset positivum essentialiter, esset negatio essentialiter, sicut sunt cæcitas, & tenebræ, & licet verum sit quod aliquod subiectum possit præscindere in sua essentia à positivo particulari, & negatione singulari ut v. g. à positivo lucis, vel Angeli, & à negatione visus vel lucis, sicut v. g. lapidis essentia, nec est in suo formalissimo conceptu lux, neque est in suo formalissimo conceptu negatio lucis tenebræ videlicet, sed potius præscindit ab utraque; unde essentia illius nec est lux, nec tenebræ; at vero nullo modo potest aliqua essentia præscindere in suo conceptu ab ente, seu positivo ut sic, & à negatione ut sic, ita ut nec sit unum, nec alterum ut patet ex principio nuper adducto, nam quælibet essentia, vel est propriè, vel non est propriè; si est: ergo essentia positiva; si non est: ergo essentia negativa, quod adeo evidentissimum est, ut nullus unquam etiam rationis splendore, ac lumine destitutus contrarium, & oppositum huius aliquando ausus fuerit asserere: ergo si possibilitas est, quodlibet id est aliqua ratio formalis in rerum natura: ergo sub conceptu essentiali, & præcisissimo illius à quacunque ratione materiali, & accidentaliter necessario debet vel esse, vel non esse, hoc est necessario debet esse vel positiva ratio, vel negatio participando positivum ut sic, & si hoc non negationem ut sic, ita ut in hoc casu nulla possit dari tergiversatio, aut dubitatio: sed possibilitas in suo primario, & præcisissimo conceptu non est positiva ratio, ut supra latissime demonstratum manet: ergo est negatio particularis, & participat negationem ut sic, de qua participant etiam aliæ negationes particulares, ut cæcitas, tenebræ, formalitas peccati, vacuum supra cælum, &c. sed non est negatio totius latitudinis entis positivi, alias esset purum nihil, nec est negatio existentia, nec repugnantia, & non est aliud, cuius negatio primario possit esse nisi aptitudo positiva ad existendum, ut discutienti per omnia patebit: ergo possibilitas in suo præcisissimo, ac formali conceptu non præscindit à negatione, sed potius includit illam essentialiter, ac formaliter.

Secundo contra, quia illa quæ rebus conveniunt beneficio intellectus, tribuitur eisdem rebus ante omnem intellectus operationem, quia unam rationem præscindere ab altera, & illam de se non negare, est opus intellectus, reique illius beneficio attribuitur: sed hanc attribuitur enti possibili in suo esse, quod habet ante omnem intellectus operationem: ergo. Quod vero unam rationem præscindere ab altera, & illam non negare sit opus intellectus, aperte inde demonstro, quia præcisio alicuius rationis ab altera sine negatione, & exclusionem illius convenit rei habenti utranque rationem cum identitate à parte rei, alias si non esset cum identitate à parte rei una ratio non præscinderet ab altera: sed illam negaret, quia quæ à parte rei non sunt idem realiter à parte rei invicem sunt divisa, sed quæ invicem à parte rei sunt divisa, invicem à parte rei remouentur, & negantur, cum divisio à parte rei dicat distinctionem, & negationem unius extremi ab alio: ergo mera præcisio unius rationis ab alia sine exclusionem, & negationem, est solum opus intellectus; tum sic, formalis ratio constitutus ens possibile in esse talis, vel habet identitatem realem cum negatione aptitudinis positivæ, ad existendum, vel ab illa differt; si primum: ergo non præscindit ex se, & realiter à negatione aptitudinis positivæ ad existendum, sed illam potius includit, quare ens possibile secundum quod possibile est à se, & necessarium erit negatio aptitudinis positivæ ad existendum; si vero ab illa differt: ergo ab illa dividitur illamque negat, quia distinctio non est sine negatione illius à quo distinguitur.

⁶¹ Dices verum esse in hoc sensu possibilitatem in suo formalissimo conceptu negare negationem aptitudinis positivæ ad existendum, ita ut talis negatio non sit primarium, ac formalissimum constitutum possibilitatis, sed solum secundum quod ad primarium, ac formale constitutum possibilitatis, sicut essentia hominis negat primarium, & formaliter se esse albedinem, id est negat suum primarium constitutum esse tale accidens, & nihilominus illa negatio non est primarium, ac formale constitutum illius: sed potius consequitur ad primariam constitutionem hominis.

⁶² Sed contra, quia si possibilitas non est formalissima negatio aptitudinis ad existendum: ergo in illa formalissima ratione possibilitatis, vel est aliquid positivum, vel est negatio non positivum propter rationes supra late positas: ergo est negatio; sed non est negatio ut sic v. g. Petri, cum sit possibilitas Petri negatio individua, & specialis distincta à cæcitate, tenebris, & vacuo, de quibus nullo modo prædicatur possibilitas Petri, quod non ita contingeret, si possibilitas Petri esset negatio ut sic, prædicaretur enim de illis, quia negatio ut sic necessario debet prædicari de quolibet negatione in particulari, ut est cæcitas, tenebræ, vacuum, &c. ergo debet esse aliqua negatio specialis, & particularis debet immediate, & primario negare aliquod determinatum positivum saltem in specie. Dicant mihi adversarij quod sit hoc positivum particulare negatum à possibilitate, certum nullum aliud assignabunt præter positivam aptitudinem ad existendum, quia certe nullum est quod possit ab illis assignari: ergo possibilitas formalissime in suo præcisissimo conceptu

cepta essentiali, est negatio positivæ aptitudinis ad existendum, & non purum nihil; neque negatio existentie, nec repugnantia negatio, ut patet ex dictis.

63 Ultimo principaliter probatur, quia positivum ens, v. g. Angelus ante sui creationem non præsupponit aliquid esse proprium positivum ideoque creatio eius ex nihilo productio dicitur, quia ex negatione positivi fit: sed fit ex possibili præsupposito, quia si Angelus ante sui creationem ab æterno non fuisset, nec præsupponeretur possibilis, non crearetur: ergo possibile, quod præsupponitur, & ex quo producit, & reducitur ad existendum est negatio positivi: sed non negatio positivæ existentie primario; & formaliter, licet pro illo statu dicat illam separabiliter, & accidentaliter: ergo est negatio positivæ aptitudinis ad existendum.

64 Quod sic efficaciter convincitur, quia educio in hoc distinguitur à creatione, quod educio est ex præsupposita potentia positiva reali, & actuali, ideo enim gratia educitur, & non creatur in Angelo, quia fit ex præsupposita potentia positiva Angeli ad recipiendam gratiam, & forma equi ex potentia positiva materię primæ, creatio autem ex opposita ratione formaliter, id est ex præsupposita capacitate seu potentia non positiva, sed negativa; omnis enim actus qualis est terminus creatus, seu creatio debet præsupponere potentiam, seu capacitatem sui, quia sine potentia, & capacitate ex parte illius non posset creari, & ideo non potest creari chymæra, quia non præsupponit capacitatem, seu potentiam, ut creetur: sed illa capacitas, quæ præsupponitur ad creationem non est positiva, alias ut dixi non esset creatio, sed educio; ergo debet esse potentia negativa; unde erit ex negatione præsupposita potentie passivæ, & per consequens minime ex non existentia gratiæ, seu non existentia Angeli, quia in hoc convenit creatio cum educatione, quia etiam educio fit ex non existentia gratiæ educatæ, sicut Angelus per creationem fit ex non existentia Angeli: sed dicitur creatio propriè, & formaliter, quia fit ex non præsupposita potentia positiva, quæcum viatur, & fiat unum: sed formaliter fieri ex non potentia positiva reali est formaliter fieri ex negatione potentie positivæ præsuppositæ, quia non potentia positiva est negatio potentie positivæ, sicut non lux in aëre negatio lucis est, & non visus in oculis negatio illius est in illis: ergo si tota ratio formalis rei creatæ, ut talis, & creationis ut sic fiat in hoc, quod fiat non ex non existentia, quia hoc etiam educationi convenit, à qua formaliter distinguitur creatio: sed ex non potentia positiva reali præsupposita, cui viatur res producta: ergo fiat in hoc quod fiat ex negatione positivæ aptitudinis ad existendum: sed illa negatio præsupposita est solum possibilitas: ergo possibilitas formaliter est negatio positivæ aptitudinis ad existendum.

65 Dices educationem etiam præsupponere possibilitatem, quia si non esset possibilis res educi, non educeretur: ergo etiam educio præsupponit illam negationem positivæ aptitudinis ad existendum: ergo in hoc non distinguitur à creatione.

66 Sed contra, quia nos non asserimus esse adæquatam distinctionem creationis ab educatione, quia in creatione præsupponatur possibilitas, & R. P. Ildeph. de Penafiel. Theol. Schol. Tom. I.

in educatione non præsupponatur: sed dicimus educationem esse actionem præsupponentem potentiam positivam; ex quo arguo quod si possibilitas est potentia positiva, & præsupponitur necessario ad omnem actionem, iam præsupponetur etiam ad creationem potentia positiva; unde nulla dabitur creatio: sed omnis actio erit educio, siquidem omnis actio etiam quæ vocatur creatio necessario præsupponit possibilitatem, & possibilitas in vestra sententia est positiva aptitudo; quia certissimum est possibilitatem esse potentiam passivam, seu capacitatem ut res producat, & in statu actualitatis constituitur, sicut visibilitas est capacitas passiva, ut videatur obiectum, & intelligibilitas est capacitas passiva ut intelligatur, quia non est maior ratio illius, quam harum, cum hæc veritas in primo fronte, seu in ipso nomine elucescat possibilitatis: ergo vel illa possibilitas, quæ capacitas seu potentia passiva est, est positiva, & in eo casu nulla actio erit creatio: sed omnis erit educio, seu generatio, quia omnis actio in eo casu adhuc ea quæ vocatur, habet id quod formalissimum constitutum educationis est, videlicet esse ex præsupposita potentia positiva passiva; quod inconueniens est, quod in hac ultima ratione erimus contra adversarios, ut scientiæ nostræ magis splendeat; si autem non est positiva aptitudo, quia necessario debet esse aptitudo, seu capacitas, ut diximus, erit sine dubio aptitudo negativa ad existendum, id est negatio aptitudinis positivæ, sicut ens negativum est negatio entis: ergo veritas nostræ conclusionis firmissima stat.

Item, quia hoc modo defendendi constitutio- nem possibilitatis, solvuntur omnia inconuenientia, imo nullum inconueniens est contra illud, & si aliquid insurgit, insurget etiam contra veritatis, & bonitatis constitutionem, ad quarum lucem cuiuscumque difficultatis obscura nebula, tanquam ad solis aspectum evanescet sine dubio: ergo cum probabilitate potest collocari possibilitas in negatione aptitudinis positivæ ad existendum.

Secunda pars nostræ conclusionis sic probatur breviter, quia possibilitas, & impossibilitas sunt duæ species negationis, quæ opponuntur, & distinguuntur inter se; ut duæ species positivæ distinguuntur sub animali, v. g. animal rationale, & irrationale; unde hæc oppositio reducitur ad contrarietatem, quia est cum aliqua convenientia; in ratione superiori: sed non distinguuntur, & opponuntur in ratione communi utrique in negatione, videlicet ut sic, quia in illa viuntur, & conveniunt: ergo distinguuntur & opponuntur penes connotata, & penes connotationem ad illa, id est impossibile remouet existentiam cum summa repugnantia, & negat connexionem cum omnipotentia, possibile autem è contra connotat existentiam, & dicit coniungibilitatem cum illa remouendo repugnantiam illius, connectitur etiam cum omnipotentia necessario, ut postea videbitur, quia si nullam diceret connectionem, & connotationem ad existentiam, non esset ratio formalis necessaria ad hoc, ut existentia habeat esse ab omnipotentia, & etiam non opponeretur impossibilitati: ergo ut illi opponatur debet dicere talem connectionem.

Secundo, omne id quod est potentia vel impossibilitas ad aliquid connotat illud, necessario in or-

dine ad quod est potentia, vel impotentia; si est potentia, ut illi coniungatur; si impotentia ut illud removeat, vel propter aliam rationem: sed ens possibile, secundum quod tale est, est potentia logica ad existendum, teste Aristotele 1. *met.* ergo connotat illam v.g. materia prima. Probatur maior, quia materia prima est potentia ad formam, connotat illam, & quia visibilitas est capacitas seu potentia logica ad visionem, connotat visionem: ergo possibilitas quæ est potentia logica, seu capacitas ad existendum connotabit existentiam, præcipue quia non quomodocumque est potentia: sed etiam ratio formalis essentialis, sub qua existentia, quæ ex eo quod talis est, connotat obiectum cuius ratio formalis est. & ratio evidens à priori huius est, quia omnis potentia, quatenus potentia est creata, habet suum esse in ordine ad actum: sed habere esse in ordine ad actum est connotare actum, quia habere esse in ordine ad actum est dicere relationem in ordine ad actum: sed relatio est quædam species connotationis: ergo potentia, quæ refertur ad actum connotat illum: atqui possibilitas est potentia ad existentiam, & in ordine ad illam: ergo connotat existentiam.

70 Ultimo, quia impossibile, est pura negatio, & est talis, quia repugnat existentia, & quia non connotat illam in suo conceptu, & quia in ipso, & in connotato est negatio, ac proinde, quia est adæquate, & totaliter, tam in suo intrinseco, quàm in suo extrinseco est negatio: possibile autem est negatio non pura, sed de ratione negationis non pura est connotare positivum vel ut subiectum, vel ut terminum, vel ut obiectum: ergo possibile quod negatio non pura est, connotat existentiam positivam: sed non ut subiectum, quia nullum supponit, in quo fundetur, cum ipsa sit ratio totius positivi creati, & quasi radix illius, cum præsupponatur possibilitas ad omne positivum creatum: ergo possibilitas connotat ipsam existentiam, vel ut terminum, vel ut obiectum.

71 Vergetur hoc, quia tum negatio est intrinseca, & formaliter possibilitas sicut impossibilitas, quia possibilitas adæquate & totaliter, secundum omne intrinsecum ac formale constitutum illius, est negatio, quia nec in se tota positiva est intrinseca, nec mixta ex negatione, & positivo aliquo, ut patet ex rationibus supra latissime traditis; unde in se intrinsece, absolute, & totaliter negatio est, in quo non differt ab impossibilitate: ergo si secundum aliquod, quod ad ipsam pertinet, non esset positiva, absolute esset sicut impossibilitas, id est esset negatio totaliter, & adæquate in se, & in suo connotato; siquidem ipsa, & connotatum eius essent negatio. Deinde, quia si aliquod extrinsecum pertinet ad possibilitatem non esset positivum tam intrinsece, quam extrinsece esset negatio, unde esset pura negatio: ergo ne sit talis, cum absolute in toto suo intrinseco sit negatio, saltem in aliquo suo extrinseco, debet esse positiva, id est aliquod ipsius possibilitatis debet esse positivum; sed non potest esse aliquod illius positivum, si non pertineat ad ipsam aliquo modo: a qui non pertineret ad ipsam, nec esset aliquid illius per remotionem, vel oppositionem, quia unum oppositum non est aliquid alterius: sed neque est aliquid illius, quia intrinsece constituit illud cum possibilitas non constituitur intrinsece à positivo: ergo, quia connotat positivum: ergo possibilitas connotat illud.

Ultimo vergetur, quia vel illa negatio, quæ possibilitas est repugnat coniungi cum existentia, & sic non possibilitas, sed potius impossibilitas erit, quia impossibilitas est repugnantia ad existendum; vel non repugnat existere, & coniungi cum existentia: ergo connotat existentiam, & dicit non repugnantiam ad illam.

SECTIO ULTIMA.

Argumenta Adversaria solvuntur.

Ad argumentum primæ sententiæ nego antecedens, ut patet ex dictis in nostra præcipua conclusione, ubi probavimus non repugnantiam ad existendum, non primario, & formaliter, sed secundario convenire rei possibili; item hoc ipsum demonstratum manet prima *conclusione huius questionis*.

Ad primum argumentum sententiæ Patris Suarez, concedo creaturam antequam fiat nullum esse positivum habere, negamus tamen ex hoc esse purum nihil, ut patet ex dictis supra *secunda conclusione*.

Ad confirmationem negatur antecedens, quia ad hoc ut aliqua actio sit creatio, non impedit ut ante illam actionem præsupponatur negatio aliqua, dum tamen non præsupponatur aliquid positivum, à quo dependeat actio productiva, nam in omnium sententia ante productionem Angelis præsupponitur negatio existentia Angelis, & nihilominus actio illa creatio dicitur, & propter eandem rationem definitio alicuius non definit esse annihilatio, ex eo quod sequatur post illam negatio aliqua, alias nulla esset annihilatio, siquidem post omnem definitionem debet sequi negatio existentia præsupposita & destructa, imò pediret autem, si post destructionem maneret aliqua entitas positiva, à qua constitueretur, & dependebat res antequam destrueretur, ut videtur est in Eucharistia, in qua destructio substantiæ panis non est annihilatio, quia remanet post destructionem substantiæ aliquid panis, scilicet accidentia. Item quæcumque corruptio equi, vel hominis non est annihilatio, quia remanet aliquid à quo dependebat compositum, & actio conservativa illius, & à quo tanquam à parte positiva constitueretur compositum, quod destruitur, itaque ut aliqua non sit annihilatio, debet remanere post illam aliqua entitas positiva, quæ fuerat aliquid destructi, & à quo dependebat actio conservativa compositi, antequam destrueretur, & ratio est, quia debet esse totalis destructio destructibilis pertinentis ad id, quod destruitur; cum autem id quod remanet post corruptionem sit negatio, quæ est possibilitas, ut patet ex dictis, ideo non definit esse annihilatio, sicut non definit esse creatio, etiam si præsupponatur possibilitas, quia talis possibilitas præsupposita non est positivum, sed negatio.

Ad secundum respondetur negando, quod licet permaneat illa potentia logica sit potentia subiectiva, talis enim est positiva. Item negamus ultimum illius, ut ex dictis patet.

Ad ultimum conceditur maior, & prima pars minoris ultima negatur cum consequentia: ad probationem minoris, dicimus illam potentiam logicam esse improductam, non tamen esse Deum propter rationes supra positas.

Ad

Quæst. IV. Vtrum possibilitas sit, &c. 491

Ad primum argumentum P. Vasquez respondetur concedendo totum antecedens, & primam partem consequentis, negatur vltima vbi dicitur, quod sit pura negatio, conceditur etiam quod si per impossibile nullum possibile foret, remanere perfectam omnipotentiam, quod etiam probabiliter potest negari cum P. Suarez.

79 Ad secundum concedo totum antecedens, & nego consequentiam; negatur item quod obiectum omnipotentis sit purum nihil, & negatur etiam quod si creaturæ essent necessariae, vt Deus haberet esse, dependeret Deus ab illis; nam ad hoc vt Verbum diuinum sit, est necessarius Pater æternus, & nihilominus Verbum diuinum non dependet à Patre, sufficeret enim necessaria connectio inter Deum, & creaturas posibles.



QVÆSTIO IV.

Vtrum creatura possibilis, vel possibilitas eius sit ens simpliciter, & sit ita necessarium sicut Deus.

SECTIO I.

Sententia aduersariorum proponuntur.

P R I M A sententia asserit ens possibile non esse ens secundum quid, sed simpliciter pro materiali, ad quod supponunt ens dupliciter considerari; & pro ratione formali existendi, & pro subiecto, quod per illam existit, ens igitur in potentia pro formali est non ens, quia dicit carentiam existendi, quæ est non ens: at subiectum illud esse ens pro materiali, quapropter à Beato Thoma, & Aristotele negatur ens in potentia esse ens simpliciter.

1 Probatur primo, ens rationis dicitur ens secundum quid; sed ens possibile est magis ens, quam ens rationis: ergo ens possibile est ens simpliciter.

2 Secundo, hæc vox *ens* simpliciter usurpatur pro ente in potentia, vt opponitur chymaræ, ens enim nominaliter sumptum significat res abstractas ab existentia, participatiter autem significat easdem existentes sive entes actu: sed possibile est ens in potentia: ergo possibile est ens simpliciter nominaliter.

4 Secunda sententia asserit magis necessarium esse Deum dari, quam possibile esse possibile, sic Scotus in 1. dist. 43. quæst. 1. Basilius Ponze relect. citata quæst. præcedenti §. quod sit prius, vers. mihi aliquanto, P. Vasquez 1. part. disp. 104.

5 Probatur primo, quod in creaturis possibilibus sit necessitas excludens omnem rationem contingentis, non obstat quominus vna res dicatur alia magis necessaria, id quod ostenditur imprimis multis exemplis, in quibus sine admixtione formæ contrariæ vna forma magis, vel minus participari dicitur. Constat hoc primo in bonitate, & malitia, nam etiam exclusa omni ratione boni in actu malo, & ratione materiali in actu bono, neque recte facta, neque prave operata sunt paria, etiam si sit indivisibilis linea rectitudinis, & prauitatis; ergo sine admixtione formæ contrariæ potest aliqua magis vel minus participari.

Antecedens notum est contra Stoicos, quorum erat axioma omnia peccata esse æqualia, omnia recte facta esse paria, vt constat ex Seneca *epist.* 66. virtutes inter se pares sunt, & opera virtutum, quia vna inducitur virtutibus regula, virtutibus humanis regula, & vna est ratio recta, & simpliciter, vt idem dicit Sen. *epist.* 65. addens quod omnis virtus perfecta sit, perfectio autem nihil est maius, aut melius esse potest; & tandem quamvis omnis virtus sit mensura, quamvis vna ratio, quamvis perfecta non omnia recte facta sunt æqualia, neque peccata paria: ergo etiam si duo extrema necessario excludant contingentiam omnem, potest vnum altero esse magis necessarium: ergo licet possible, & Deus excludant contingentiam, nihilominus poterit Deus esse magis necessarius, quam creaturæ posibles.

Confirmatur id testimonio Aug. *epist.* 29. hoc ipsum agentis contra Stoicos, quia distorto inquit aliquid distortius est summe rectum, quamvis nulla in eo rectitudo, vnus tamen alio magis distortus est, & obliquus, quatenus à rectitudine discedit magis: ergo etiam quatenus aliquid magis à contingentia recedit, etiam si omnem excludat, potest dici magis, vel minus necessarium ens; idem ostenditur in veritate, & falsitate; nam est aliquid alio verius, etiam si nulla sit admixtio falsitatis, & aliquid alio falsius sine vlla veritatis admixtione: ergo similiter, &c. antecedens autem probatur concediturque in metaph.

Præterea inter contingentia omni ratione necessitatis exclusa vnum alio magis contingens est, magis enim contingens est Petrum cras legere quam esse Regem, & tamen nullum est in vtroque necessitatis vestigium: ergo è contrario sine vlla contingentis ratione vnum potest esse altero magis necessarium, idem quoque habet probabilior opinio in vnitatem vel distinctionem, nam sine vlla admixtione vnitatis formalis quæ in re nulla est, aliqua dicuntur magis vel minus vna, vel diuersa, quam alia.

Secundo probatur principaliter necessitas obiectiva, quam certitudinem appellamus, oritur ex necessitate in esse, certitudo namque & infallibilitas nihil aliud esse videtur quam incapacitas falsitatis, aut quædam necessitas cognitionis attingentis obiectum sicuti est, quod quidem contingit cum cognitio huiusmodi obiectum formale necessario habet connexum cum materiali cognito, ex hoc enim efficitur vt cognitio quæ ex tali obiecto specificatur eam naturam habeat, quæ necessario, & infallibiliter attingat rem materialem, quare certitudo, & infallibilitas, quæ in cognitione est, nascitur ex penetrata coniunctione necessaria obiecti materialis, cum obiecto formali, atque adeo ex ipsa necessitate in esse, sed in cognitione, quæ est omnino certa & incapax falsitatis, & dubitationis vna cognitio est certior alia, vt patet in demonstrationibus, in quibus certior est prima demonstratio, quam secunda, quæ illam supponit, cum prima oriatur ex primis, & maxime necessariis vt docet communis sententia, & quod negari non potest omni dubitatione exclusa, certior est secundum se cognitio fidei quam cognitio evidens scientiæ naturalis; loquor enim de fide supernaturali vt tradunt omnes scholastici, & omnes Patres cum quibus Basil. *epist.* 25, ad Gregorium fratrem, & Chrysostomus, nec de hoc dubium esse potest: ergo & fatendum necessario